



ELENCHVS REFVTATIONIS TORTVRAE TORTI.

PRO REVERENDISSIMO in Christo Patre Domino Episcopo *Elienſe*,

Aduerſus MARTINVM BECANVM Ieſuitam.

Authore RICHARDO THOMSONIO *Cantabrigienſi.*

LONDINI

Excudebat ROBERTVS BARKERVS, SERENISS^ae REGIAE MAIESTATIS TYPOGRAPHVS.

Anno Dom. 1611.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

NOBILISSIMO, ET STRENVISSIMO Militi THOMAE IERMIIN, amico honorando.

Mitto tibi, Domine, aduentus mei prodromum nuncium. Libellum hunc, quem pro Reuerendiſsimo Eccleſiæ noſtræ Antiſtite, contra Becanum *properaui. Exiguum quidem illum & tenuem, ſed quem maiorem, aut operoſiorem eſſe non volui. Nolui enim honorem habere homini ſcribillatori, qui putido, & ſtrigoſo libellulo, tantum virum impetere auſus fuit. Satis eſſe putaui, ſtuporem ipſius, in hoc quidem argumento, in ſcenam producere, & quàm*

in omnibus, ac vbique ineptierit, (grauiùs hîc nihil dicam) oſtendere. Profecto cauponantur hodie, non belligerant Patres Societatis. In controuerſiâ de Poteſtate Regum & P P. prorſus ipſis aqua hæret. Scripturas nullas habent, nullos habent Patres. Canoniſtæ, & Scholaſtici non magis inter ſe conueniunt, quàm horologia, aut Philoſophi. Et tamen his omnibus deſtituti, tam fatuum Orbem Chriſtianum eſſe exiſtimant, vt Iuam de P P. Omnipotentiâ, aut etiam, ſi vis, Omnipræſentiâ ſententiam perſuaderi illi poſſe ſperent. Itaque vndique concurrunt, libros in omni terrarum parte, ſuper hac quæſtione procudunt. Præſertim poſtquam belli ſignum, *ex Britanniâ Magnus* IACOBVS *noſter*, extulit. *Summa hoc iam ſolum quæritur, ſolum controuertitur,* Quid iuris in Principes, & eorum regna habeat P P. *Alia omnia ſopita, & compoſita videntur. Sed de his aliàs &*

eordm

coràm, Deo beneuolente. Nolo prologus fabulà productior ſit. Vale, & hoc qualecunque obſeruantiæ meæ erga te teſtimonium benignè accipe. Londini a. d. XI. Kal. Iul. CIↃ IↃCXI.

Tuus

Totus

THOMSON.

ELENCHVS REFVTATIONIS TORTVRAE TORTI.

CAP. I.



VETVS est Comici dictum, *Duo cùm idem faciunt, non est idem.* Quod, vt antiquissimum, ita verissimum quoque esse, nunquam tam luculenter apparuit, atque nuper in libro Serenissimi & Inclyti Regis nostri Iacobi P. F. Qui vt primùm in lucem prodijt, non aliter atque olim in aduentu Magorum Herodes ἐταράχθη καὶ πᾶσα Ἱεροσόλυμα μετ' αὐτοῦ, Pontifex, & vniuersa ferè natio Pontificia commota est, & quasi *Annibal* ad portas fuisset, relictis quisque re-

 bus,

bus, ad opem ferendam accurrit. Imò, quia parum præsidij in legionibus *Italicis* videbatur esse, quia bello *Veneto* valde attritæ erant; etiam ex *Galliâ*, & *Germaniâ* auxiliares copiæ petitæ sunt. Vestram fidem, Viri pontificij! Vsque adeone noua res, & insolens vobis visa est, Regem nostrum queri de Papæ tyrannide? queri de infractâ veteris disciplinæ seueritate? de corruptâ Ecclesiæ doctrinâ? de nouis, & nuper assutis dogmatibus? Regem prouocare ad veterem illam, & augustam c c c c. priorum annorum Ecclesiam? Atqui putate. Vetus enim, & non noua aut χθὲς, καὶ πρῴην nata querimonia est. D C. & quod excurrit, anni sunt, ex quo hæc vox audiri cæpit in Ecclesiâ: laborare Ecclesiam in capite, laborare in membris, opus esse medico, opus esse seriâ reformatione. Quot boni Imperatores, quot *Franciæ*, & *Angliæ* nobilissimi Reges in illud totis viribus incubuerunt, vt Ecclesiæ aliqua tandem reformatio institueretur? Quot hoc dixerunt? quot scripserunt? Nullus fere alicuius momenti, aut bonæ frugis historicus, aut scriptor est, qui aut hanc tegat Ecclesiæ fœditatem, aut illorum summorum Principum non laudet conatum. Quonam spectauit

ſtauit decretum Patrum *Conſtantienſium*, de celebratione conciliorum generalium ſingulis decennijs? (Quem terminum, vt loquuntur, prorogare ne ipſi quidem P P. & Cardinalibus fas, jus eſſe voluerunt.) Sanè huc: ad culturam nimirum agri, & vineæ *Dominicæ*, i. Eccleſiæ reformationem. Quod ſi ritè, & ex præſcripto, ac conſuetudine veteris Eccleſiæ obſeruaſſent poſteri, haud paullò ſanè ſpecioſiorem, & pulchriorem ſponſam Chriſti haberemus hodie, & tot, tantisque querelis opus non foret. Quæ cùm ita ſint, quid cauſſæ eſt, cur in Regem noſtrum cornua obuertitis, quaſi ille inauditum quid hactenus, & planè nouum protuliſſet? Quin potiùs quod verè Chriſtianorum, & pacis publicæ amantium erat, Regiâ conditione vtimini, & quod in diuino illo, & quantiuis precij ſcripto ſuo candidè, & ſincerè offert [illegible] amplectimini, vt ſepoſitâ, & ſpretâ omni vndique nouitate, veterem, & orthodoxam c c c c. annorum antiquitatem, recipiamus, & veneremur. Super eo ſeriò cogitandum, & deliberandum fuerat. Sed nunc contrà comparatum eſt. Nam qui his tot malis, quibus Eccleſia laborat, vtcunque mederi poterât, malunt & ocio ſuo, & ingenio abuti

uti in excusandis jis; quàm fidem suam, pietatem, & industriam Deo, & hominibus probare in corrigendis, & curandis, quæ correctione, & medicinâ opus habent. Longè alia mens diuini Vatis. *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.*

Cæterùm hoc mihi videor meritò obseruâsse, ex omnibus ijs, qui in hoc scriptionis genere, siue cõtra Regem nostrum, siue illustrissimos Dominos Venetos, versati sunt, ne vnum quidem fuisse, cuius scripta nescio quod σκληροτράχηλον præ se non tulerint. Nam Bellarmin. Baron. Gretzer. Becan. cùm alijs scriptis suis non aspernandam sanè doctrinam suam ostendissent, famamque, & nomen ingressi essent: hac vnicâ tamen operâ nihil aliud profecto, ne inter meliores quidem Pontificios assecuti sunt, nisi vt caussæ, quam tuebantur, infirmitatem prodidisse credantur, & non satis bona conscientia diuersati. Itaque *misit in illos Dominus spiritum erroris, & vertiginis, vt videntes non videant.*

Hoc non querar in præsentiarum, quia seculi nostri morbus ἀνάμαρτητος est, vix vnum è tot scriptoribus repertum esse, qui debitam tanto Regi reuerentiam præstiterit, & quod

barbariſsimis tamen quibuſque gentibus ſolenne eſt, honorem aliquem habuerit. Omnes irreuerenter egerunt, omnes irreuerenter ſcripſerũt. Quidam etiam furioſè, vt impuriſsimi oris Pacenius; ἀνάβλεψις item ille ὁπλίτης ἄλλος Gallus, bonis omnibus exoſus, & deteſtandus Apoſtata. Coefeteau, & ille quoque Gallus, tamen aliquâ calami moderatione vſus eſt.

Quæritis vnde iſtæc diſtantia? Scribebat hic Lutetiæ, idque vt inaudiui, auſpicijs maximi, & prudentiſs. heu quondam, Regis ſui, qui furioſum hoc genus hominum cane peius, & angue oderat, & phreneticos illos, ac rabientes, in hoc præſertim argumento, ſcriptores, quorum nunc plena omnia, ferre non poterat. Alter ille ſycophanta Romæ ſcripſit, vbi vt alios taceam, qui illum in hoc ſcelus armârunt, inuenit ipſum P. P. qui dirum hoc, & horribile carmen ſibi præiret, & fere conceptis verbis dictaret. Vera hiſtoria eſt.

Non ſunt nugæ, non n. mortualia. Deum immortalem, quò rerum delapſi ſumus! Repertus eſt humanâ formâ præditus, qui ter maximo Principi exprobraret, quòd in altiſſ. pace, & tranquillitate poſitus, non arma, ſed literas tractet: quòd pacis inter

vicinos suos,& concordiæ seminarium esse malit, quàm discordiarum suscitabulum, & bellorum incentiuum. Miserum verò seculum, καὶ ἐπιεικῶς χαλεπὸν, quibus quæ quondam præcipuæ principum virorum virtutes censebantur, inter principalia vitia reponuntur. Sed hanc belluam sinamus. Becanum sanè pudoris sui, & moderationis limites migrâsse aliquando, mirari satis nequeo. Vsque adeo odia, & partium studia homines sæpe transuersos rapiunt. Verùm hæc visio aliorum, & me potiorum erit, qui librum illum diligenter, ac pensiculatè exigent. Ego ἀνδρῶπος ἰδιώτης, ἀδαμίδου, ac infimi planè subsellij, eum libellulum paullisper excutiam, quem contra Reuerendissimum dominum tunc Ciceστrensem, nunc Eliensem Episcopum, serenissimique Regis nostri Eleemosynarium effutijt potiùs quàm scripsit. At contra qualem, & quantum virum! Virum, ne de christianiss. & suauissimis moribus eius quid dicam, ita me Deus benè amet, vtriusque historiæ & antiquitatis peritissimum, in Patribus & Scholasticis Doctoribus versatiss. artium, & linguarum callentissimum, omnigenæ eruditionis, & lectionis: denique quod de Longino olim ferebatur, βιβλιοθήκην τὸν ἄνθρωπον καὶ

καὶ πρὸς τοῦτο μανίαν. Quomodo verò auctoratus ad dimicandum cum tanto Aduersario descendit Becanus? Profecto leuioribus, & puerilioribus armis præditum se sensit, quàm vt justum certamen cernere auderet, itaque aliam instituit viam. Ex eruditiss. & laboriosiss. Episcopi libro sparsim quædam excerpsit, partim malè intellecta, partim obtorto, quod aiunt, collo in alium sensum tracta, aliquando etiam malâ fide relata, ex quibus hunc jejunum, & hordearium libellulum sibi concinnauit, quem aduersario suo obijceret, & quem non veritus est titulo Refutationis proscribere. Equidem si hoc Patres societatis refutare vocant, cuiuis pedaneo magistello, aut literatori pronum, & facile erit, maximi cuiusuis & clarissimi scriptoris monumenta conuellere. Aliâ omnino formâ, & aliter instructum esse oportet, qui refutatoris nomen sibi vindicare postulet. Dicam tibi Becane, sed in aurem, ne quisquam malus exaudire possit; Non potuisti refutare Domini Episcopi eruditum scriptum: non potes. Age, experire, refuta καὶ νικᾶν, & virum te putabimus. Dicam iterum, sed soli tibi: Nunquam tibi propositum fuit Herculeum illum librum refu-

tare. Rem factam putasti te habere, si titulus ille, *Refutatio Torturæ Torti*, in Catalogo nundinarum prostaret, si stulti aliquot, & Marrucini, ad quos nomen illius Torturæ fortè peruenerat, ex Catalogo intelligerent penitus refutatam esse. Non omnes fallis; mundus non sinit se, vt solet, ἐπὶ ἀγαθοῖς, pridem est quod has artes vestras percepit: prudentes, & consulti quique viri titulis contenti non sunt, sciunt de re maximi momenti in illâ Torturâ agi, itaque libellulum tuum inspicient, inspectum nudum destituent. Equidem negare nolo, quin in alijs tuis scriptis, etsi non semper obtinueris, tamen aliquando fortiter feceris, fortiter pugnaueris: hic ipsa caussa non fuit te κακὸν τῷ ἤθει, causa ingenio tuo, non ingenium causæ defuit. χάλκεον γὰρ περὶ τῷ μαχαίρᾳ ἐχόντα λέγειν καλῶς.

Tandem ergo libellulum ipsum conueniamus, quem in præfatione ad Illustriss. Principem suum, *Veritatis studio* se instituisse scribit. Veritatis studio Becane? Vtinam. Profecto si veritatis studio ducerentur, qui contentionis huius funem cum Ser. Rege nostro ducunt, qui ferram hanc reciprocant, magna pridem bonis omnibus spes incessisset eruendæ veritatis,

(neque

(neque enim in tam alto puteo latet) & incundæ publicæ concordiæ. Sed, quod manifestò videmus, & dolemus, omnes eum sibi scopum propositum habent, vt cõtra clarissimam veritatis lucem, Pontificis in spiritualibus, & temporalibus Monarchiam, ὡ ὑπερτάσιν, per fas omne, & nefas stabiliant, & eius fines, si fieri posset, in infinitum protollant. Testes Bosij,

Fratrum nobile par celebriorum: Testis Marta, testis quoque ipsum Antichristi delicium *Bellarminus*: qui vt nouissimus omnium scripsit, ita lõgissimè hos fines, etiam in alienum agrum produxit. Sed iniquissimè. Itaque liber Cardinalis non à nostri instituti Princip. & Repubb. tantùm damnatus est, sed communi omnium ferè Pontificiorum consensu notatus. A Christianissimo Galliarum Rege, grauissimo Senatus Parisiensis edicto, A Rege Catholico: ab Illustriss. D D. Venetis, ab Alijs. Vides præter naturalem hunc lucis oculum, etiam ciuilem prudentiæ oculum mundo superesse, & videre Principes maiestatem suam minui, hac tam violentâ, & nefariâ P P. vsurpatione. Et tamen doctrinam, quæ huic vsurpationi contraria est, non est te puditum scribere, *Catholicæ fidei, ac religioni*

ligioni repugnare. Scilicet vobis Patribus, omnipotentiæ, (ita loquimini) Pontificiæ propugnatoribus, non dicam ſolus, ſed præcipuus certè fidei articulus eſt, P P. ſuper omnes terræ thronos euehere, caput eius cælo inferre, denique, *ſedem eius ponere cum Altiſsimo.* Sanè illud ipſum eſt quod quæritis, quod ſatagitis. Sed nos ſimplices homines, & planè cicures Enniani, has ſubtilitates capere non poſſumus, non poſſumus intelligere, quo iure fides hæc, & religio Catholica dici queat, quam ſcimus non *ſemper fuiſſe*, (agnoſcis puto verba Lyrinenſis) *non vbique fuiſſe, non ab omnibus creditam fuiſſe; denique non omnes vno, eodemque cõſenſu apertè, frequenter, perſeueranter tenuiſſe.* An nunc quoque hanc fidem pro Catholicâ agnoſcit Eccleſia Gallicana, quæ apertè profitetur, P P. in temporalibus nullam in Galliâ iuriſdictionem habere, adeoque ipſos clericos P P. in his talibus ſubiectos non eſſe, nec obedientiam vllam debere? An agnoſcunt Hiſpani? *Caroli v.* & *Philippi* ij. at quàm Catholicorum Principum! geſta, vt ſcis, omnia alia teſtantur. Eadem mens Regis noſtri, & aliorum Principum eſt. Vtinam etiam animus, ac voluntas iure gladij repetitum

titum ire hoc jus ſuum,& vindicare ſe contra illum, qui ſe extollit ſupra omne, quod Deus appellatur. Sed *corda Regũ ſunt in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illa.* Imò & quandocunque. Quia *ſolus tempora, & momenta nouit.*

Nunc cum *Becano* progrediamur, & quò vocat ſequamur. In ipſo ſtatim limine impingit bis,& turpiter: Primo, Negat auctorem *Torturæ, nomen ſuum prodiiſſe, ſed inſinuare ſe eſſe Sacellanum, Eleemoſynarium, Tortorem; ſe verò, quoa honorificentius eſt, Sacellanum ipſum appellaturum.* Benignè. Nam & ordinibus Eccleſiæ noſtræ honorem aliquem habere videtur,& longè ſanè modeſtiùs, quã Patres ſocietatis ſolent, loquitur. *Bellarminus* n de Archiepiſcopo Cantuarienſi loquens, *Qui ſe dicit*, inquit, *Archiepiſcopum Cantuarienſem.* Satis quidem ſupercilioſè ille, & more ſuo. Sed tamen quem facilius eſſet oſtendere Cardinalem potiùs dici, quàm reipſâ eſſe. Sed quare Sacellanum maluit *Becanus*, quàm Eleemoſynarium, aut Epiſcopum? Aut cur Sacellani titulus illis antiſtat? In Angliâ, vt & alibi, Regum Eleemoſynarij ſunt Epiſcopi, Sacellani non omnes Epiſcopi. Et Epiſcopũ ſe eſſe profitetur ipſe Auctor. Audi verba.

Sereniſſ.

Sereniſſ. Maieſtatis tuæ à ſacris, ab Eleemoſynis, ſubditus, ſeruuſque deuotiſſimus L. Ciceſtrenſis.

Quid? Cum Roffenſem, Wintonienſem, Abulenſem in ſcriptis veſtrorum hominum legimus, an alios quàm Epiſcopos intelligemus? Epiſcopum ergo ſe eſſe palam profeſſus eſt, & nomen ſuum, etſi contractè, appoſuit. Vt in vtroque, te falſum fuiſſe fateri neceſſe habeas. Quomodo autem *Tortorem* ſe eſſe *inſinuârit* Epiſcopus, quod ais, ego nullus intelligo. Neque n. quia liber eius *Tortura* inſcribitur, *Tortorem* eum eſſe neceſſe eſt. Non magis ſanè quàm Ineptos illos aut Nugatores, qui *Ineptiarũ*, aut *Nugarũ* indice libros ſuos proſcripſerunt. Ergo vt illi quæ alij ineptierunt, aut nugati ſunt; ita Epiſcopus, quomodo *Matthæus* ille ſe torſerit in eximendis cuneis, à Sereniſs. Regem tam validè adactis, libri ſui titulo oſtendere voluit. Et reuera ipſo illo libro mundo probauit. Alioqui quid opus erat torquere *Matthæum* illum, qui ſe *Tortum* eſſe publicè iam quiritatus erat? *Sacra Inquiſitionis eſt* ſæpe torquere hominem: vulgo id fieri non aſſolet. Sed tamen, quia Patres ſocietatis Metaphyſici ſunt, quorum eſt rebus nomina imponere; & quia hoc titulo ſibi valde placent;

cent; profecto de *Tortoris* nomine litem nullam conteſtabimur; Prætorem vindicias nullas rogabimus. Sit, quia ita volunt, Tortor Epiſcopus, ſed qualis olim Romæ, *Apollo Tortor*, qui rationum fidiculis Cardinalem veſtrum torſit, & torquet. Nunquam ſe expedibit Cardinalis, ſemper in equuleo illo ſedebit, etiamſi in Cathedrâ Petri ſedeat, & orbem digito ſe temperaturum ſperet. *Hæret lateri lethalis arundo.* Secundò in eo impingis, quòd Torturam hanc à culturâ, & elegantiâ ſtyli, à diligentia, i. vt ego interpretor, ab eruditione, laudare ſuſtinuiſti. Prorſus imprudenter, & contra morem reliquorum ſoctorum: qui iuxta indices ſuos expurgatorios, omnem cuiuſuis honoris, etiam ciuilis titulum, ſi quando in ſuorum libris noſtris hominibus tribui reperitant; non tantùm de facto, vt loquuntur, expungunt, ſed omnino nullum Proteſtantibus habendum, ne nominis quidem, de jure contendunt. Id enim in ſtercoreo ſuo, & planè pædagogico Mineruali agit Serarius, & vt pueri in ſcholis veſtris, magno argumentorum numero. An tibi *Becane* virgas in mundo eſſe non ſentis, quod ſeorſim ab illis ſentire auſus ſis? Sed vide quantum eruditâ illâ *Tortu-*

râ

turâ profecimus, quæ etiam ab aduersario, etiam à Iesuitâ laudari meruit. Sed, quod mihi nullo modo prætereundum est, cuius hic diligentiam laudat Becanus, eiusdem negligentiam culpat in ipso libelli sui titulo, *Quòd causam sui Regis negligenter egerit.* Quomodo hoc nobis expedibit? Sed, vt dixi, putabat homines titulo contentos fore, itaque susque deque habuit quid aut ibi aut hîc scriberet. Nihil tam familiare, nihil tam obuium in Patrum libris, quàm contradictio. Cùm ergo hîc ex animi sensu loquaris Becane, expunge, nisi deputuisti, negligentiæ titulum ex titulo. Imò, si me audis, ipsum libellulum vnâ liturâ.

Hinc ergo profecti ad tria illa capita dirigamus, quæ tanquam metas sibi proposuit Becanus. Iam antè monui ipsum, suarum sibi virium conscium, non ausum fuisse totum argumentum tractare, librum ipsum κατὰ μέρος refutare, sed quædam selegisse ac delibâsse, *quæ*, vt loquitur, *non æquè probabat*. Atqui si illa refutare constituerat quæ non probabat, ipsum argumentum, quod præcipuum est & Pontificijs maximè improbabile, inprimis refutâsse ipsum oportuerat. Cur sophista, aut calumni-

lumniator, quàm verus ac ſolidus diſputator audire maluit ? Aliquid eſt quod intelligitur.

CAP. II.

De primo cap. id eſt, conuicijs ; vbi & de XIII. & XV. Paradoxo.

HIc verò ingentem riſum ſuſtuli; petulantiam ſplenis, aut me ipſum tenere non potui. Suaue fuit videre ex Loiolæ nepotibus eſſe, qui Reuerendiſsimum & grauiſſimum Epiſcopum, Regis Eleemoſynarium de modeſtiâ moneret, conuiciandi libidinem obijceret. Profecto ſi modeſtiâ Epiſcopo noſtro opus foret, non de veſtræ ſeplaſiæ myrothecijs, Becane, hoc vnguentum petendum ſibi ſciret. Nouit Ieſuitas inſcriptas pyxides eſſe, ſed inanes : nouit ſanctorum ſcrinia eſſe, ſed, quod non ita pridem Romæ Baronij emblema fuit, in quibus nulla ſit ſancti imago, aut icuncula. Satis ſe modeſtiâ Chriſtianâ munitum ſentit Epiſcopus ; conuiciandi, aut maledicendi libido ipſi nunquam inceſsit. Ineſt facultas falſè, & venuſtè, vbi opus eſt, dicendi, quæ chriſtianum hominem non dedecet:

decet : priorem illam virtutem vt sibi arrogaret, non fuit *tam temerarius nec audax.* Patrum illa propria, & perpetua virtus est. Quid maledicentius Maldonato, Gretzero, Richeomo vestris? Quid dæmoniaco illo Delrio, qui Phœnicem seculi nostri, principem literarum nullâ de causâ tot conuicijs prosciдit, tot calumnijs distulit? Nimis longus sermo sit, si omnes Patres autumem, vnum dicam. Quid causæ fuit cur tot speciosæ, & clariss. personæ, etiam Pontificiorũ, etiam Principum per Amphitheatri vestri arenam à Carolo Scribanio traducerentur? Sanè conuiciandi, & maledicendi cacoethes, quod ipsos instar furiæ agitabat. Nullus paullò doctior, paullò consultior, aut cæteris paullò clarior fuit, qui Amphitheatralibus bestijs objectus non fuerit. Vt planè scriptum aliquod extare necesse fuerit ad exemplum lanienæ Parisiensis, vbi nulla omnino sexus, nulla ætatis, aut conditionis ratio habita fuit. Huius rei nulla alia ratio reddi potest, quàm quod tu ex Euangelio de bono, & malo thesauro cordis repositi. Omne agens agit secundùm modum suæ informationis. Et rectè Varro, nisi fallor, *Non possunt benè olere qui in culinâ habitant*, id est,

in

in ſcholis veſtris educantur. Sed conuicia illa, ad quæ Reuerendiſsimum Epiſcopum *proiectiſsimum* fuiſſe ſcribit, breuiter diſpiciamus.

Exurge Præco, & fac populo audientiam.

Clementem VIII. ait ab eo vocari *perfidum*. Ir clementer mehercle dictum. Scilicet indignum facinus Epiſcopi, ψευδὴς ἐπίσκοπος ἐπίσκοπος appellare. Profecto Epiſcopi exemplum non eſt, Pontificem aliquem illo, aut ſimili encomio celebrare. Olim perfidi, Simoniaci, hæretici, Sodomitæ, inceſti, necromantici, venefici audire cæperunt P P. veſtri, in ſuorum temporum hiſtoricis. Neq; vos, quin tales aliquot fuerint, valde inficiamini. Quid ergo inuſitatum, aut contra bonos mores commiſit Epiſcopus, qui Clementem VIII. perfidiæ affinem, perfidum vocauit? Profecto talem fuiſſe Mathæo Bellarmino probaſſe videtur, & ni fallor, Becano quoque, qui factum Clementis ſilentio præterire, quàm excuſare maluit. Maluit ibi ſolùm legi. Sequitur proximum conuicium. *Varam vibia. Cardinalem Bellarminum vocat votifragum.* Negas votifragum? Arrige aures Martine, Ribadeneiram tibi prædē dabo, qui præſtabit. Verba eius ſunt, l. 3. c. 22. vitæ Ignatij.

Sed vt non solùm in præsens optimè societas gubernetur, verùm etiam in posterum: & cupiditati, atque ambitioni, religiosi status certissimis pestibus, quantum in ipsa est, occurratur: alia vota simplicia professi emittunt, promittuntque se non consensuros vt constitutiones de paupertate, quæ nunc est in societate, immutentur, nisi fortè vt illam contrahant, & arctent, nullam in societate dignitatem, neque apertè, neque occultè quæsituros: si quem verò abijsse sciuerint fideliter prodituros: extra verò societatem nullam admissuros dignitatem, nisi eius qui præcipere potest obedientiâ compellantur. Id est, interprete ipso Loiolâ, *Nisi à Christi vicario ita compellantur, vt tergiuersari, repudiareque illam citra peccatum non liceat.* Ibid. cap. X V. Vides Loiolâ *signo crucis munitũ*, (hoc additur) vouisse se, nisi cõpulsum, nisi compulsum à Christi Vicario, nisi compulsum metu (mortalis) peccati committendi, repudiaturum omnes dignitates extra societatem. Abi verò Martine, & fatuos tibi quære, quibus persuadeas *Robertum Tortum*, ita compulsum Cardinalitiam dignitatem adijsse. Nos hîc in Angliâ fungi non sumus, ingenium hominis meliùs nouimus; & scimus quo genere Emblematis, Romani, inter quos degit, ipsum nobis depinxerint,

pinxerint Emblema erat Tigris catenâ religata: Dictum, quod ipsi *Motto* vocant, *Da mi la libertà vedrai ch' io sono.* Id est, solue me, & videbis qui siem. Et nugæ sunt nugacissimæ quod ais Paradoxo XIII. *Satis esse si superiores aliquem ex iustâ causâ dimittant.* Nam *dimissio* longè aliud est, quàm compulsio Loiolæ, & Ribadeneiræ; & *Superior* aliud quàm *Christi Vicarius.* Et quis non videt quàm procliue sit, vbi lubet, huiusmodi missionem accipere? De voto paupertatis, quia solemne est, maior difficultas erat. Sed in promptu tibi responsio fuit: Papam, qui omnia, potest facere, dispensasse. Sed ignoscere vos nobis æquum est, qui hanc omnipotentiæ Papalis doctrinam non satis intelligimus, non satis callemus. Scilicet omnis sancti in rebus humanis, & honesti scopulus est P P. Nullum iuramentum tutum est, nullum votum: nulla adeo lex superest quâ homo homini, aut etiam Deo se possit deinceps obstringere. *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. Omnia posuisti sub pedibus eius.* Sed Becanus respondere debuerat ijs, quæ super hac Papæ impotentiâ dicam, an omnipotentiâ erudit? & subtiliter disputârat Dominus E-

piſcopus, & non tam ſurdâ aure omnia illa præteruehere. Quod verò ibidem ait, *In Angliâ nos iurare Regi noſtro fidelitatem, & obedientiam cum hac duplici limitatione: 1. Quàm diu manemus in Angliâ. 2. Quàm diu Religionem non mutat*, falſiſsimum eſt. Et quia gratis, vt loquuntur, ab illo dicitur, refutationis non eget. Nos vtrumque aliter ſe habere, liquidò ſcimus.

Nicolaum Sanderum, quod tertium erat conuicium, *mortalium mendaciſſimum fuiſſe*, ſcripta eius teſtantur. Ex quibus ὑλαδὸν haurire poſſem viri mendacia, ſi tanti eſſet mundo probare, meridie lucere. Quo animo illum de rebus noſtris ſcripſiſſe putabimus, qui patriæ perpetuus hoſtis, & perduellis fuit? Qui in exitium, & excidium eius juratus, & cum Comite Deſmond & Hiſpanis Hiberniam inuadēs, furentis morte in ſiluis, & mōtibus Hiberniæ potitus eſt? οὓς ἐπόλλυσο καὶ ἄλλος ὅτις τοιαῦτ' ἔρδοι. En hominem πίσσινον & dignum quicum de rebus noſtris in tenebris mices.

Eadem quoque de Campiano, & cæteris reſponſio eſt, *quos pro fide Catholicâ martyrium paſſos* ait Becanus. Quod ſi vobis Romanenſibus hæc fides Catholica ſit, *ſubditos concitare in Principes ſuos, ad rebellionem*,

nem, & parricidium subornare, fide & obedientiâ debitâ soluere; causam non dicam, quin illi sanctissimi martyres fuerint. Sin contrà ab omni æuo, in omni Rep. hæc inter atrocissima crimina reposita fuerunt, & gladio semper vindicata; vos causam dicere non potestis, quin justissimo supplicio in eos animaduersum sit, & meritò ab Episcopo *proditores* appellatos. Profecto non aliam ob causam capitis damnatus est Campianus: literæ ipsius manu scriptæ, & Romam missæ productæ sunt, quibus significabat se decem millia hominum parata habere in omnem occasionem rei benè gerendæ, id est, tumultuandi, & rebellandi. Agnouit manum suam, crimen fassus est, & merito supplicio affectus. Acta edita sunt, & autographum literarum ipsius in Archiuis regni asseruatur. Hoc genus homines vos in Martyrologijs vestris reponitis? At Elibertinum concilium Idoloclastas, bonos alioquin Christianos, ἐν ἀνωμαλίᾳ vt sic dicam, deprensos, & occisos, vetuit in numerum martyrum recipi. Ratio erat: *Quia in Euangelio*, inquiunt, *non est scriptum, neque inuenitur ab Apostolis vnquam factum.* Can. LX. Sed super hoc nouo, & inaudito genere Mar-

tyrij veſtri, ſpero aliquando latinè edendum Ornatiſſ. Viri noſtratis eruditiſsimum ſcriptum, quod dignum erat non à noſtris tantùm legi.

Quintum conuicium Epiſcopi in Patres ſocietatis eſt, quos *atrociſſimorum facinorum auctores eſſe ait.* O factum malè! ô imprudenter dictum! Manifeſtò tenetur, reuera conuicium dixit. Sanè eſt hæc communis totius Europæ vox. *Ieſuitas non ſequatur qui Remp. ſaluam eſſe cupit. Nihil illis inquiete publicâ antiquius eſt. Calamitas gentium eſt epulum illorum.* Clamamus nos hoc Angli, quos vno nutu, & quod Caligulæ olim votum fuit, quaſi *vnam ceruicem habuiſſemus*, interimere decreuerant. Vociferatur hoc vicina nobis Gallia, quæ ſuo malo Epiſcopum noſtrum veraſſe, vt Ennius loquitur, experta eſt. Hoc Itali Poloni, Moſcouitæ, Suedi, Boemi, Tranſiluani, & vicinæ nationes; ſummatim, orbis Chriſtianus quotidie ſenit: hoc quidam veſtrorum Poetarum auſi apertè ſcribere, qui *Iberam parricidalem cohortem* vos appellare veriti non ſunt [illegible]. Cottidiana ſunt, &, vt ille ait, *in frontem incurrentia.* Negari non poſſunt, niſi à mendaciſsimo aliquo Eudæmon-Iohanne Cretenſi,

Cretenſi, hominum, quot ſunt, quotque fuere, impudentiſsimo. Verum quidem eſt Ieſuitas ipſos non ſemper canere, ſed tamen verum eſt illos τὰς ἀληθείας ἀεὶ ψευδεῖν. Hoc libri ipſorum, & tractatus politici teſtantur. Qui profecto nullo alio titulo, aut indice proſcribi debebant, quam *Gladij*, aut *Pugionis*, vel, Becani gratiâ, *Enthiridij*.

——τοὺς γὰρ τοιούτους ἐγὼ, inquit *Scenicus* Philoſophus,

Φυγεῖν ἀφροντιστὶ πᾶσι συμβουλεύσομαι,

Σιμικῆς λήρους καὶ γέλωτα μηχανωμένους.

Sequitur poſtremum, & capitaliſsimum Epiſcopi conuicium. Meminiſſe horreo. Verba Epiſcopi. *Quod dextrâ datum eſt, vos ſiniſtrâ accepiſtis, & de Malchi proſapiâ eſtis, cui præciſa auris dextra: nec vlla vobis auris reliqua, niſi ſiniſtra, quâ audi tis omnia, omnium quæ à nobis dicuntur ſiniſtri auditores, & interpretes.* Nimirum hic facetus Domini Epiſcopi iocus (nam iocum eſſe ipſe Becanus fatetur) & inter conuicia, & inter paradoxa referri meruit. Expectabam vt etiam tertium libelluli caput ingrederetur, & primatum Regis noſtri eo euerſum iuraret. Expediam eos verbo, ne more illorum, *Fluctum in ſimpulo*. Bonvm Factvm, *vt, quia de proſapiâ Malchi eſſe nolunt Ieſuitæ, neque licere nobis*

volunt deinceps anteſtari: de nunquam curatâ Chriſto proſapiâ ſint. De proſapiâ Coelitum. Saluete Vnoculi.

CAP. III.

De ſecundo Capite, id eſt, Paradoxis Epiſcopi.

QVO titulo non ſatis ſibi cauiſſe videtur Becanus. Sed ô benè. Nam non ſemper prauæ opinionis thema, ſed veriſſimas, & certiſsimas ſententias, quales omnes Epiſcopi ſunt, ἀφιδόξως ſæpiſsimè vocari, nemo inficiari poteſt. Extat hodieque Laurentij Presbyteri Piſani Paradoxorum Theologicorum, vel Euangelicorum Enchiridion. Sanè prædicatio Euangelij, i. totus Chriſtianiſmus σκάνδαλον quid eſt. *Iudæis ſcandalũ*, inquit Apoſt. *Gentibus ſtultitia.* Cæterùm παράδοξα & ὑπερδοξολογίαι quid S. Scriptura, quod Eccleſiaſtici Scriptores appellent, non meliùs docere poſſum, quàm ſi his Epiſcopi falsò dictis Paradoxis, vera Paradoxa ὑπερδοξολογίαι hominum veſtrorum, & Chriſtianam fidem peruertere

uertere cupientium, opponã. Etsi autem infinitas huiusmodi nouas, inauditas, absurdas sententias ex dogmaticis vestris scriptis in armum legere, & in publicum proferre possem; tamen ne μετεβαίνωμεν εἰς ἄλλο γένος, non excedam fines propositi argumenti, & è paucorum Papæ parasitorum libris, nonnulla huc congeram.

Marta, & plerique Canonistæ post Bonifacium VIII. in Extra. Vnam sanctam. *Subesse R. Pont. vt capiti Ecclesiæ militantis omnem creaturam, tam in spiritualibus, quàm temporalibus, est de necessitate fidei.* lib. de Iurisdict. part. 1.

Papa est Vicarius Dei in terris, à quo emanat omnis iurisdictio: Vnicus in orbe pontifex, Imperator, & Rex, omnium Principum superior; rerum & personarum omnium supremus, & dominus. Marta præfat. ad Paullum V. Cuius auspicijs liber prodijt primùm Romæ, deinde Moguntiæ recusus est.

Papa habet Dominium vniuersale temporaliter in toto mundo. ibid. c. 20.

Papa habet eandem potestatem, quam habuit Christus, ideo ex ordine Diuino est constitutus super gentibus, & regnis. ibid. c. 22.

Papa ex causâ temporali Imperatorẽ, & Reges potest priuare imperio, & regnis, ibid. c. 23.

Nemo

Nemo siue fidelis, siue infidelis, est verus dominus, qui non recognoscit dominium, & iurisdictionem à Papâ. ibid.

Papa dispensat contra Apostolum, communis Canonistarum sententiâ, quam confirmat, & obfirmat Marta. ibid. c. 24.

Salomon Rex quando sententiam capitis iuridicam aduersus Abiathar Sacerdotem pronunciauit, non Regis sustinuisse personam, sed sacerdotis. Bellar. de Rom. Pont. l. 2. c. 29.

Alexand. Pesantius non ita pridem *Clem. VIII. per Galliam*, vt ipse ait, *Germaniam, Belgium, Poloniam Vicarius Apostol.* lib. de immunitate Ecclesiasticâ & potestate pontific. p. 45. *Dico: Summus Pontif. iure diuino habet plenissimam potestatem in vniuersum orbẽ terrarum, tam in rebus Ecclesiasticis, quàm in politicis.* Et in margine. *Papa iure diuino directè est Dominus orbis.* Quod confutat Bell. l. 5 de Pontif c. 4. Negat Becan. p. 18. contra Reg.

Mariana lib 1. cap. X. de Institut: Princip. *Princeps neminem ex sacrato ordine, supplicio, quamuis merito, subijciat.* Id est, liceat ipsis etiam crimen læsæ majestatis impunè audere. Sed de Marianæ pestilentiâ satis mundo constare arbitror. Et vos dogmatum istius bestiæ jam pudere cæpit. Vti-

nam

nam non fictè. Hæc sunt, Becane, vestrorū hominum παραδοξα, ὑπερδοξα, ὑπερδιαστολικα, omni antiquitati incognita. εἰ καὶ ἀμφίβολον τὸ μὴ ὂν ξυνῇ. Dicam semel.

Nam cur non dicam Furia te furiam? διαστολικὴ δαιμόνιον, quas vltimante hoc Ecclesiæ seculo docturos vos olim prædixit Apostolus.

¶ *De I. Paradoxo.*

QVod est de Puritanis, quos Rs. Episcopus ait *profiteri primatum, subscribere, & iurare indies, idque ingenuè.*

Equidem hoc de Puritanis ingenuè, & verè dicere me posse existimo, eos doctrinam vestram nouam, inhumanam, diabolicā de æquiuocatione, & mentali reseruatione non profiteri. Itaque caritas non aliter sentire nos jubet, quàm ingenuè eos jurare, quod jurant. Vestri juramenti ratio nulla omnino habenda est, neque quicquam est, cur verè, & ex animo vos vnquam jurare credere debeamus, quia mixtas propositiones ex orali, & mentali licitas vobis esse defenditis, atque ita præcipuum in rebus vinculum è mundo tollitis. Sed quid est quod Episcopo objicitur?

Rex,

Rex, inquis, *ait se plus fidei in montanis, & limitaneis latronibus inuenisse, quàm in Puritanis.* Rex ait, *se propemodum in ipso Matris suæ vtero ab ijs extinctum fuisse: Rex in Basilico suo acriùs ac vehementiùs in Puritanos inuectus est, quàm in Pontificios.* Ergo Puritani quod jurant seu faciunt, *ingenuè* non faciunt. Acumen Brabanticum, & quod Chrysippo, ac Zenoni inuidiam faciat. Malè sit præceptoribus meis, qui hanc me dialecticam non docuerunt. Collige te, & vide quanto in patriâ tuâ adolescens olim dialecticæ peritior fueris, quàm jam senex in Germaniâ. Nosti prouerbium quod de Brabantis nostris istic circumferatur. Quod verum prouerbium magis majorem in modum ostendit esse, quod subjungis, argumentum tuum. *Mihi*, inquit Rex, *præcipuus labor fuit, deiectos Episcopos restituere, & Puritanorum* ἀναρχίαν *expugnare.* Id est, Puritani Episcopos &c. extra Ecclesiam faciunt, & ἀναρχίαν quandam introducunt in Ecclesiam: seu, volunt omnes ministros, & sacerdotes æquales esse. Ergo, infers, *monarchiam, & primatum Regis detestantur, & per consequens, non ingenuè iurant in primatum Regis.* Profecto si ludibrium pueris debuisses, aut nouitijs tuis, non potuisses meliùs

liùs præſtare, quàm his tam lepidis ac feſtiuis argumentis tuis. Vides ſcopas tuas diſſolutas eſſe, & nihil vſquam cohærere. βελτίον ἂν ἦμεν ἐγένοντο διὰ τὰ παιδάρια, quod in ſimili re dicebat Anaximander. Sed de Puritanis, vt ſemel intelligas, ſic habe: Eſſe inter nos non vnum, ſed duplex Puritanorum genus. Habemus enim factioſos quoſdam homines, θρασυσίφους, puros putos Phariſæos, antiquitatis omnis oſores, cuius veſtigia vt vos corrumpitis, (Scis enim qui dicantur in Epigrammate βιβλιοτριβοῦντες, nimirum qui ibidem πεταυιβλιοκαπηλεύουσι.) Ita illi penitus, ſi poſſent, delerent. Sed habuiſſe nos potiùs, quàm habere, dicendum mihi fuerat. Prudentiâ enim Regis tandem effectum eſt, vti *nunc in ijs erubeſcant, in quibus olim fructum ſe habere putabant.* Habemus item alios, bonos alioquin, & probos viros, qui ſummam doctrinæ Anglicanæ probant, ſed in praxi, & diſciplinâ Eccleſiæ, quædam, quæ tamen dicere non poſſunt, deſiderant, & emendationem quærunt. De prioribus illis loquitur, & queritur Rex tam grauiter, qui turbantibus rebus in Scotiâ, vt in tumultibus fieri amat, multa crudeliter in Regem, & Regis Matrem auſi ſunt: non autem de poſterioribus his, multò minùs

de

de exterarum Ecclesiarum hominibus. Quod & ipse ingenuè profitetur ad finem præfationis suæ monitoriæ. Quare *imprudenter, & si vis, imprudenter* in Germaniæ, & Hollandiæ Caluinistas, vt loqueris, debacchatus es; & valde stultè camarinam hanc de Puritanis mouisti. Nihil enim ad propositam quæstionem spectabat. Hoc ergo Episcopi dictum paradoxon esse *non probasti*. Et tamen quid de prioribus illis Puritanis sentiant Patres quidam vestræ societatis, audi Becane, & mecum mirare. Fronto Ducæus, vestrorum hominum, Schottum excipio, doctissimus, memorare solet, se solos Puritanos illos, & Iesuitas pro Christianis habere: cæteros medios (id est moderatos, & non furiosos homines) siue Pontificios, siue Protestantes, pro Christianis non agnoscere. Quin malle se inter Turcas, aut Ethnicos, quàm inter illos censeri. Scilicet

Mediocribus esse poetis,
Non Dij, non homines, non concessere columnæ.

Sit quidem ille per me Turca, vel vt mitiùs dicam, Velut-Turca, Velut-Ethnicus, Ego alterius spiritus quàm Loiolitæ, aut Puritani me esse, Christo gratias ago.

¶ *De*

¶ *De II. Paradoxo.*

AIs Reuerendiſsimum Præſulem ſcribere, *primatum Eccleſiaſticum omni iure deberi Regibus.* Verba citas ex pag. 90. *Primatus ſpiritualis debetur Regibus omni iure.* Videamus an ita ſcripſerit Epiſcopus. Nego tibi, Becane, Epiſcopum tam negligenter, aut ſupinè locutum eſſe. ἐμοιώτην, ἀλλὰ τὰ ἀκριβούτην AEternitati ſcribit. Apponam locum integrum, vt videat lector candidus, & veritatis amans, quâ fide eum laudaueris. *Neque verò quo ad ſpiritualia, alium nos Regi primatum tribuimus, neque quo ad temporalia alium P P. detrahimus, quàm debemus. Prior ille Regi omni iure, poſterior hic P P. nullo iure debetur.* Non dixit primatũ Eccleſiaſticum, aut ſpiritualem, quaſi formaliter intelligat, ſed quo ad ſpiritualia, id eſt, objectiuè & materialiter. Quemadmodum ergo non omnem ſimpliciter primatum in temporalibus P P. adjudicat, ſed quendam tantùm, ſc. quem vſurpat in alios principes: ita non omnem ſimpliciter primatum in ſpiritualibus Regibus adjudicat, ſed quendam tantùm, & eum ait Regibus omni jure deberi. Quàm longum, & latum diſcrimen inter hæc,

Prima-

Primatus ſpiritualis debetur, & Primatus quidam quo ad ſpiritualia debetur Regibus? Vbi ſunt compendia veſtra Dialecticæ? Sed hæc ſperaſti non facilè animaduerſuros lectores. Vrges ergo quod Epiſcopus dixerit, *Omni iure.* Hoc tibi ambulandi occaſionem præbuit ſcilicet. Hîc totus es in diuiſionibus, & diſtinctionum ſectionibus, quaſi coquus minutal facturus. Sed, pace tuâ, nos jis hîc quidem non vtimur: interim obiectionem tuam dupliciter refellimus, i. vt τὸ *omni iure* intelligatur παροιμιακῶς. pro certiſsimo iure. Quomodo loqui ſolemus, *omnem lapidem mouere*, πάντα κινοῦσι, τὸ πᾶν μοχλεύειν &c. Quæ velle literaliter intelligere, aut ſtulti eſſet, aut inciuilis hominis. 2 Vt intelligatur propriè, Omni iure, quo ſc. aliquid cautum eſt de regni, & Reg um iure. Nam & iure naturæ vnum caput debet eſſe in Rep. in quo reſidet τὸ κύριον κράτος & ſumma poteſtas; niſi volumus aliquam Remp. eſſe bicipitem. Dico bicipitem, ratione ſummæ poteſtatis, quæ diuidi non poteſt. Nam alioqui diuerſis reſpectibus poſſe eſſe varia capita in Rep. nemo dubitauerit. Sed ita tamen vt cætera capita ſint vni illi, & ſupremo inferiora, penes quem, vt dixi, ſit ſumma poteſtas.

testas. Sic habemus hîc summum Thesaurarium, Iudicem, Cancellarium. Illud vnicum caput intelligo in regno Regem, in Aristocratiâ Optimates, & sic de cæteris. Atque hæc est illa ἐξουσιαστικὴ potestas, de quâ toties apud Philosophos, cui omnes reliqui ἐξουσίαι. Itaque nos in Anglico nostro idiomate belliores longè sumus, quàm per inopiam Latini sermonis nobis latinè esse licuit. Non enim dicimus, *The Kings primacie, Regis primatum*, sed, *The Kings supremacie, Regis suprematum*. Quo vocabulo nos quoque deinceps vtemur: multum enim differunt Primatus, & Suprematus. Illud enim potestatem eiusdem ordinis videtur significare; hoc non item. Et hinc magna calumniandi ansa vobis præripitur, qui longè alium primatum à nobis statui fingitis, quàm aut Reges nostri sibi vnquam vsurpârunt, aut Theologi nostri scriptis suis defenderunt. Sed de eo postea exactiùs, vbi ad libelli tui cap. 3. deuenerimus Contradictionem tamen interim, quam in verbis R. Præsulis tibi obseruâsse videris, dispiciamus. Scribis primatum Ecclesiæ, quem pag. 96. *omni iure deberi Regibus* asseuerat Episcopus, alibi tamen fateri, *solo iure Vet. Testamenti deberi, & non aliunde,*

quàm ex more, inſtitutoque Pop. Iſraelis vim ſuam habere. Quænam hæc impudentia, vel confidentia eſt, Becane? Cedò locum vbi hoc ſcripſerit. Non pigebit verba ipſius, etſi pluſcula, reponere ex pag. 363. *A more*, inquit, *inſtitutoque Iſraelis oritur Apologia, inde enim vim habet, atque nerues quæſtio hæc omnis. In Iſraele enim populo ſuo regnum inſtituit Deus, & Eccleſiam in regno ex mente ſuâ. Exemplum inde nobis ſumendum eſt, cùm in nouo teſtamento nullum habeamus. Nuſquam ibi in vnum coaluerunt Eccleſia, & Imperium, procul ſe habuit Imperium ab Eccleſiâ. Quare quæ penes Regem in religione partes ſint, inde nobis petendæ, vbi gemellæ quaſi ſunt, & amicè conſpirant Politia, & Eccleſia, non vbi ſecedunt à ſe inuicem. Ab illo igitur fonte Iſraelis arceſſimus hanc cauſſam, & ab eo exemplo (vbi ſimul ſunt, vbi Eccleſia in regno.) Eccleſiæ regnique noſtri regimen informamus.* Et quæ ſequuntur, Matthæo Torto, tibique in æternum non refutanda. His verbis ſolo jure V T. deberi Regibus ſuprematum ſuum, aut non aliundè quàm ex more, inſtitutoque Pop. Iſraelis vim ſuam habere, nuſquam profitetur Epiſcopus. Nam quibus? aut vbi? Ego, qui ſtupor meus eſt, & cuius ingenium Patres ſocie-

tatis non fabricârunt, nihil aliud hinc colligere potui, quàm juris illius quo ad spiritualia, ac auctoritatis, curæque Regalis in rebus religionis, nullum aliud exemplum, vnde stabiliri possit, & confirmari, ex S. Literis dari posse, quàm praxin perpetuam Pop. Israelitici. In N. Test. nullum extare propter discidium Imperij, & Ecclesiæ, temporibus Christi, & Apostolorum. Sanè praxis, & exemplum, multum à Iure differunt. Atque hanc animi sui formam disertè reddit ibid. Episcopus. Vt mirum mihi meritò videri debeat, quâ fronte illa aliorsum trahere ausus fuerit *Becanus*, & tam imbecilles, vel lectores, vel aduersarios sibi fingere. Et tamen, vt hoc obiter moneam, quàm non præscripserit huic Regali juri Christus, aut Apostoli eius, ostendit praxis optimorum quorumque Impp. postquam Ecclesia, & Imperium conjungi, atque vniter aptari cæperunt. Ergo paradoxon hîc vllum, aut contradictionem, quâ se constringeret Episcopus, fuisse, *non probâsti.*

¶ *De III. Paradoxo.*

SEquitur III. Paradoxon ex proximè sequentibus verbis Episcopi deductum.

pag. 364 *In Israele autem*, inquit, *non dum os reperi tam durũ, quod negare etiam auderet, præcipuas in re religionis partes, penes Regem extitisse: vel vno hoc argumento, quod per sacra historia seriem, mutato noui Regis animo, mutata est semper facies religionis. Eaque mutatio* (nota R. Episcopi argumentum.) *Regi semper ascribitur, quasi factum eius. Nec Pontifices vnquam, vel præstare poterant, vt fieret mutatio in melius; vel ne fieret in peius impedire.* Respondet *Becanus*, se non vnum tam duri oris, sed multos reperisse, qui id ausi sunt negare.

Audite parumper,

Quirem Romanam rectè procedere vultis.

Memorat nobis Nic. Sanderum, l. 2. Visib. Monarchiæ. Tho. Stapleton. lib. 5. Princip. fidei doctrin. Bellar. l. 1. de Concil. Gretzer. l. 2. Considerat. ad Venetos. Tanner lib. 1. defens libertat. Eccles. &c. Tune, Becane, tam durâ fronte, & ferreo ore esse potuisti, vt cum Tortura ἀνάγκης testes, aut saltem ἀπαρέγκλιτοι veterum, & probatorum Theologorum sibi proferri postularet, qui negarent præcipuas in re religionis partes penes Reges fuisse apud Iudæos, ausus fueris neotericos aliquot, & vestrarum partium, Papæ parasitos, & adulato-

adulatores, denique, Regum omnium juratos hostes producere? Satis nôrat Episcopus nullum tam impudens esse mendacium, quod Iesuitâ, aut Sandero aliquo teste carere posset. Quantum & quale ludibrium nos mundo debere censeretis, si vobis veteratoribus, de innouationibus Protestantium conquerentibus, & fidei Lutheranæ professores, ac locupletes testes producere jubentibus, Lutherum, Philippum, Bucerum, Calum &c in os impingeremus, atque ijs testibus nos caussam obtinuisse speraremus? Mirum ni illud Satirici tolleretis omnes, *Periisse Frontē de rebus* Et magno sanè merito nostro. Nihil enim stolidius, aut absurdius dici, ac fieri posset. Itaq; patere nos quoque, non aliter de hac ridiculâ tuâ, & penitus exsensâ responsione sentire, quàm dignam esse quæ Caij Melissi c l. Ineptiarum libros augeat. Merè jocularis res est. Quid autem belli isti, & locupletes testes tui, aut quàm verè dixerint, quod dixerunt, non mea hoc loco cautio est, qui Episcopi verba paradoxo affinia non esse præstare suscepi. factum est ab alijs, factum in ipsâ Torturâ à R. Præsule. Et tamen abstinere me non possum, quin referam quid de facto Salomonis amouen-

tis Abiathar ſummo ſacerdotio, & capitalem contra eum ſententiam ferentis, ſenſerit olim magnus Abulenſis veller. Tum quia Bellar. & alij, contra commune, & receptiſsimum axioma, *Reus ex malefacto ſortitur iudicem*, Salomonem ex diuinâ inſpiratione, vt prophetam, id feciſſe nugantur: tum quia locus à noſtris, quod ſciam, occupatus hactenus non fuit: *Sciendum etiam*, inquit Toſtatus, *quod Salomon potuerat occidere Abiathar, quanquam eſſet ſumus ſacerdos. Eo quod in V. T. poteſtas Eccleſiaſtica non eſſet diſtincta à poteſtate ſeculari. Sed ſubiecti erant directè Sacerdotes Regi, ſicut laici. Etiam non erat diſtinctio pœnarum pro ſacerdotibus, & laicis: Sed ad omnes erat communis ſententia ſanguinis in criminibus grauibus. Et quia Abiathar commiſerat crimen læſæ maieſtatis, occidendus erat, niſi miſereretur eius Salomon. Quod autem ſacerdotes ſubiecti erant laicis, patet, Num. 27. vbi Deus dixit, quod Eleazar, qui erat ſummus Sacerdos, & cæteri Iſraelitæ ſubiecti eſſent Ioſuæ. De hoc magis declaratum Ios. 3. Erat autem Ioſue princeps ſecularis de tribu Ephraim.* Hæc Toſtat. 3. Reg. 2. quæſt. 28.

¶ De

¶ *De Paradoxo IIII.*

A Paginâ 364. reſilis ad pag. 53,& 91. Omnino inſtar pulicis, quem cecinit *Luſcinia* Muſarum.

Qui ceſſim fugit, & fugit receſſim,
Et ſubſultibus hinc, & hinc citatis,
Vibrat cruſcula.

Rex noſter, inquit Epiſcopus, *eſt dux gregis ſub Chriſto paſtorum Principe. Sunt & alij Reges Chriſtiani ad vnum omnes, ſua ſi iura nôſſent, & vel vires illis, vel animus non deeſſet.* Et ſimilia alia quædam, etſi clariùs, pag. 91. Quibus verbis *non vnum, ſed multa Paradoxa* contineri, fortaſſe nouitijs veſtris, certè cautis lectoribus non perſuaſiſti. Et ecce ſtatim, hæc tua multa, vt *Pythagoræorum* olim τὸ πᾶν, καὶ τὰ πάντα τῶν τριῶν ἀριθμῶν. Quæris ergo primò. *Si Chriſti tempore fuiſſet aliquis Rex Chriſtianus, an Chriſtus dixiſſet illi, Paſce oues meas?* Fatua mehercle quæſtio, & te tanto *Theologo* indigna. Enim obſecro te *Becane*, quidnam reperiſti in illis Epiſcopi verbis, quod tibi occaſionem, & anſam præberet mouendi hanc quæſtionem? Sanè nihil fuit. Sed aliquid dicendum erat.

Aliter non fit, Auite, liber.

Reſpondebo ergo paucis. Non affirmat R. Præſul Chriſtum hoc dicturum fuiſſe: ſed illud tantùm ait Epiſcopus, quod tu, niſi penitus derubuiſti, negare non audes. Quod ſi ab initio Impp. & Reges Chriſto nomen dediſſent, nihil cauſſæ fuiſſe, quò minùs vt olim Ioſhua, Num. 27. gregis Iſraelitici deſignatus eſt Paſtor, itidem & hos gregis Chriſtiani Paſtores, qualis *Ioſhua*, qualis *Dauid* 2. *Sam.* 5 *& Pſal* 78. deſignari à Chriſto potuiſſe. Neque n. maius periculum erat *Petro*, ne hoc pacto, quod tu vereris, curâ. & officio paſtorali priuaretur, quod Chriſtus ipſi mandauerat, quam ne inconciliaret Sacerdotibus V.T. quando eorum principes, & reges Paſtores vocati, & conſtituti ſunt. Varij n. ſunt paſcendi modi, & varij paſtores, vt & nutricij Eccleſiæ Chriſti. Sanè Reges Chriſtiani reuera ſunt πατρῶνες τῶν, adeoque non corporum noſtrorum tantùm, aut bonorum conſeruatores, ſed & hæc vel præcipua ipſis cura incumbit, vt in Deum vltimum finem noſtrum rectè dirigamur. Laudabile igitur facinus, & *Sacellano Regio* digniſſimum, quod, cùm hæc viuidè intelligeret, Regi ſuo inprimis, & alijs porrò Regibus, Paſtoris hunc titulũ vindicatũ, & aſſertum iuerit.

Quæris

Quæris secundò, sed eadem, aut maiore etiã futilitate, *Quid hoc sit, Pasce oues meas?* Et veris interpretatione R. Episcopi, quæ profecto, Patrum quoque est, (nihil n. illis de nouâ vestrâ glossâ suboluerat) de passione verbi, & doctrinæ scilicet. Benè. Arripis mox ex pag. 380. *Torture Torti*, Regem hoc modo non pascere oues Christi. Ne hoc quidem malè. Concludis, Non posse *illa verba, Pasce oues meas, illo sensu, quo à Christo prolata sunt, ad Regem pertinere.* Quidnam? Mox quasi acta, & transacta omnia forent, infers, *Idcoque nec Regem esse Pastorem ouium Christi. Tolutim Badissa*, Becane, *nequid tibi dematur de hordeo.* Ab artificio tuo Dialectico non recedis. Nimis festinando cæcam peperisti cõclusionem. Si nobis Cantabrigiensibus per Parsonium vestrum liceret audire saltem Dialecticis, facilè tibi ostenderemus, aliter tibi concludendum fuisse: Nimirum, Regem non posse eo sensu dici ouium Christi Pastorem, quo sc. *Petrus* iussus est pascere oues Christi, aut quo sensu *Petrus* illarũ Pastor est. Quod vltrò, & non rogati, tibi tuisque concedimus. Quis n. nostrorum aliter vnquam sensit, aliter scripsit, aut scribere ausus est? Cedò is auctorem aliquem ex

nostris,

noſtris, *vt mea Sigalion AEgyptius oſcula ſignet.* Sed multi talpæ ſunt in Bœotiâ, vt ferunt, qui etſi oculos habeant, non habent tamen oculos ad videndum: ſicuti Chriſtus dicebat, *Qui habet aures ad audiendum, audiat.* Atque hinc propudium humani generis, ſeculi noſtri incõmodum, tartareus quidam fabula, non eſt veritus Sereniſs. noſtrum Regem *miſerum Sacerdotem*, (pauure preſtre) appellare. Maſtigia. Vides nunc ergo R. Præſulem, contrà quàm rebare, expeditum, & ſolutum eſſe: non quòd aliquando impeditus fuerit abs te, aut ligatus, ſed quia impediri, & ligari tuo tam futili argumento non potuit. Quomodo & *Auguſtinus* alicubi ait *ſolui vincula venantium, ne teneant, non quaſi aliquando tenuerint.*

Tertium illud tuum eiuſmodi eſt, *Quare alij Reges Chriſtiani non vſurpent ſibi officium paſtorale, ſi verè Paſtores ouium Chriſti ſunt.* Iam antè diſtinximus de officio Paſtorali. Profectò officium illud paſtorale, quod nos Regi noſtro aſſerimus, exercuerunt multi alij Reges, & Principes Europæ, præter noſtrum. Vt veteres Impp. omittam, reſpice mihi Proteſtantium Principes omnes: Annon viriliter, & probante Deo hoc officium vſurpârunt? Annon glorioſiſsimi

Impp.

Impp. *Carolus quintus, Ferdinandus, Maximilianus*? Christianissimi *Franciæ* Reges, qui tot conuentus, tot colloquia componendi religionis controuersias gratiâ indixerunt? Profecto hi jus suum, & officium suũ nôrant, neq; aut vires, aut animus defuerunt hoc seriò agendi: etsi euentum præstare non potuerint. *Homo, n. proponit, Deus autem disponit.* Et apprimè placet *Diodori Siculi* illud [illegible]. Non igitur quod tu obijcis, *Solum Regem nostrum scientem, reliquos ignorantes: solum potentem, reliquos impotentes: solum animosum, reliquos timidos, & ignaues* concinnat Episc. Itaque satis verniliter vectaris, cùm illum, vt Regi suo assentetur, in alios contumelioſum extitisse blateras. Neque n. credo te negaturum Principes illos, quibus Ecclesiæ suæ nulla, aut modica cura est, aut iura sua, & officium non nôsse, (saltem practicè) aut alia illa duo deesse ijs, si turbari Ecclesias suas ab exteris, aut etiam suis patiantur. Quid ergo hîc contumeliarum est? aut quæ assentatio? R. Episcopus supparasitari, aut assentari non didicit. Sunt illæ artes curiæ Romanæ, quam nunquam adijt, nunquam frequentauit. Illic hæc prima cura est, partes se-

cundas

cundas bene tractare posse. Vide pag. 361. *Torture*, & ringere.

¶ *De Paradoxo V.*

MIRATVR, & castigat ἀνωνύμως *Matthei Bellarmini* Episcopus, quòd contra vsum linguæ sacræ Pontificem Rom. *Christum Domini* indigitârit, cùm ille sit proprius, & peculiaris titulus Regum, neque alij cuiquam in S. Literis attribuatur. Sin, vel vnum in toto Bibliorum volumine locum designari sibi postulat, vbi nomen hoc vlli, quàm Regi, sacri illi scriptores attribuerint. Scilicet res hæc tibi digna visa est titulo Paradoxi. An tanti fuerat, etiamsi Episcopum aut memoria, aut ocium diligentiùs inquirendi destituissent? Sed non fefellit memoria, & ocio in tam facili negocio opus non fuit. Reuera enim in totis sacris Biblijs, nulli *Christi Domini* appellantur, præterquã Reges. Sic Saul. 1. Sam. 12. & 24. (Ad quem locum, longè Christianiùs commentatur Ralbag, quàm sentiunt, & scribunt Patres societatis in libris suis politicis.) Dauid. 2. Sam. 19. Salomon. 2. Chron 6. Ezekias. Abac 3. Iosias Thren. 4. Cyrus quãtus Ethnicus, Esa.

45. Et sic alibi sæpe. Neque vel ex Vaticano aliquo codice locum vllum, sat scio, suppeditabit Bellarmin: neque tu suppeditâsti in contrarium: etiamsi id maximè te fecisse videri velis. Testimoniorum tuorum summam (neque enim repetita tibi, credo, placebunt magis.) his verbis comprehendis. *En habes varia scripturæ loca, in quibus Sacerdotes dicuntur Vncti. Non ergo soli Reges dicuntur Vncti.* Consueta tibi, ἐλεγξία nescio, an stupiditas. Episcopus jubet sibi ostendi vbi dicantur *Christi Domini*, tu Bellarmini supposititius dicis nobis Sacerdotes etiam vngi solitos, & vnctos dici. Addam ego, ipsum Tabernaculum quoque, & vniuersam supellectilem oleo sanct. vncta fuisse. Quid ergo? Vbi dicuntur Christi Domini? Hoc sibi probari postulabat Tortura. Hoc tu non probasti, neque vnquam certè poteris. Hæret tibi aqua. Et quanquam tu perinde esse putas Vnctum, atque Christum dici; tamen, pace tuâ, liceat nobis existimare, veterem Interpretem, & sanctissimos Patres grauissimas caussas habuisse, cur *Christum*, & *Christos* potiùs, quàm *Vnctum*, aut *Vnctos* interpretari istis locis, & legere maluerint, etsi latinum vocabulum Hebraico æquè respon-

derer,

ponderet, & æquè exprimeret eius vim. Nimirum auguſtius illi aliquid procul dubio in Regibus ſuſpexerunt, & venerati ſunt, quàm Pontificis canes agnoſcere ſolent hodie. Simili ingenij felicitate verſatus es in loco ex 2. Machab. producendo. Aduerte. Ariſtobulus eſt de *genere Chriſtorum Sacerdotum*: Ergo Ariſtobulus appellatur *Chriſtus Domini*. *Vbi nunc Dialectica? Dormis?* An Chriſtus Sacerdos idem tibi, quod Chriſtus Domini? *Chriſtos Domini* non ſolos Reges dici in S.S. edoce nos; & cedimus. Adhuc ergo Mathæus ex Italiâ arceſſendus eſt, vt hoc deſignetur, tu noſter Vcalegon nihil potuiſti. Quæ ſequuntur ſect. 21. 22 nihil ad hoc quod in præſentiarum controuertitur. Nam Sacerdotes eo titulo inſigniri potuiſſe in S.S. non negamus: factum fuiſſe pernegamus. Aliter viſum fuit Sp. S. cuius nos linguâ loqui malumus, quàm Bellarmini, quæ mala ſæpiſsime eſt.

¶ *De VI. Paradoxo.*

QVod tribus, quod aiunt, verbis quibuſdam expedibo. Scripſerat Epiſcopus. pag. 331. & 398. *Eccleſiæ, quia vnum*

corpus

corpus est, vnicum tantùm caput esse posse, Christum scilicet: monstrosum alioquì futuram, si plura haberet capita. Dicam ego, nullam: vti aluearia perire scribunt auctores rei rusticæ, si vel nullum, vel vno plures reges habeant. Scripserat & alibi Episcopus pag. 338. *Nomen capitis ad Regem quoque facili negocio reuocari posse.* Hinc *deblaterat planus, bonu rusticu concinit vna.* Becanus κλεψίστιον, suam perpetuam, & domesticum vicium, Episcopo obijcit primò. Quasi nimirum reciproco argumento vtatur quod æque referri contra, controuertique posset in suprematum Regis, atque capitalitatem P P. *An non metuis*, inquit, *ne Ecclesia sit biceps, si non solus Christus, sed Rex tuus sit caput Ecclesiæ?* Non magis sanè, quàm Christū Regem regum, Dominum dominantium. i. totius Vniuersi Monarcham cum S.S. agnoscere; & tamen statuere simul, Reges terrenos in suo quosque regno summum caput esse, & supremam potestatem, τὸ κυριεῦον κράτος, vt retrò dicebamus, in ipsis, & penes ipsos esse. Hæc non pugnant: neque propterea biceps erit Respublica illa. Alia enim est Vniuersi, alia singulorum vnitas. Sed vos & Christum, & P P. Catholicæ Ecclesiæ, quà talis est,

est.i. quatenus vnum corpus est, simul caput esse docetis, id est, vniqs corporis formaliter accepti, duo capita facitis. Quod meritò reprehenditur in Torturâ. Repugnat enim rationi, & naturæ corporis: repugnat item fidei, quæ nobis suadet extra S S. in his talibus nihil sapere. Cui enim fideli, Christianoque viro non sit [illegible] quædam, si vt Papam Ecclesiæ Catholicæ caput, ita Ecclesiam Catholicam corpus Papæ appellari audiret? Non possent aures Christianæ, Christi & Apostolorum vocibus assuetæ, has verborum nouitates ferre. Mallent cestum. Et tamen mirum, Bellarminum aliquem, aut Martam, ac Pesantium id hactenus ausos non fuisse. Majora conatos esse scimus.

Verùm enimuero quale caput sit Rex noster, & quo modo non repugnet, Christum, & Regem esse caput Ecclesiæ, ex dictis, & dicendis suo loco constabit.

Secundò obijcit R. Episcopo inconstantiam, quòd alibi, vt excludat P P. solum Christum profiteatur esse caput Ecclesiæ: alibi tamen Regem velit esse caput, nec caput modò, sed cum Chrysostomo [illegible] Sed & hoc, Becane, eandem ob caussam: Vt excludat P P. & Regibus jus suum vindicet.

dicet. Quomodo autem hæc sibi inuicem contradicunt? Solus Christus, & non P P. Romanus est caput Ecclesiæ Catholicæ: Et, Solus Rex in suo regno est caput quisque suæ Ecclesiæ, neque P P. superiorẽ, aut socium agnoscit? Ibi, Ecclesia in se, & formaliter cõsideratur: hîc, non in se, vt præcisè Ecclesia est, sed vt iũcta alicui regno & materialiter: ibi de capite vniuersali; hîc de particulali sermo nobis est. Nulla hîc ergo contradictio, nulla incõstantia est; multò minùs adulatio aliqua. Neque enim Regis nostri causa tantùm spectatur, sed commune Regum omnium jus, & auctoritas defenditur, & ne quis Christos Domini tangat, seriò cauetur. Sed cur hîc tui tam parum meminens fuisti? Ecce qui cap. 1. libelli tui conuicia non decere aiebas bonum virum, multò minùs sacellanum, aut Eleemosynarium Regis: hîc tamen adulatorem, stultum, [illegible] tantum virum vocare ausus es. Alibi etiam pag. 164. Refutationis Epistolæ Regiæ, quòd contra conscientiam suam Regi persuadeat quod vult, & illudat, te non puduit scribere. An Iesuitas, quia boni viri non sunt, conuicia non dedecent? aut Doctorem Theologiæ, quia Regis alicuius sacellanus,

aut Eleemosynarius non est? Tu videris. Pueris olim accinebatur,

Turpe est doctori, cùm culpa redarguit ipsum.

¶ *De Paradoxo VII.*

EXTAT apud *Matthæum Parisiensem* Nobilitatis Gallicæ querela super tyrannide, & auaritiâ, P P. & Cleri Romana. Verba sunt omnium regni maiorum, vt loquitur historicus pag. 697. *Quia Clericorum superstitio non attendens, quòd bellis, & quorundam sanguine, sub Karolo Magno, & alijs, Regnum Franciæ de errore Gentilium, ad fidem Catholicam sit conuersum, primo quadam humilitate nos seduxit; quasi Vulpes se nobis opponentes, ex ipsorum castrorum reliquijs, quæ à nobis fundamentum habuerant, iurisdictionem secularium Principum sic absorbent, vt filij seruorum secundùm suas leges iudicent liberos, & filios liberorum, quamuis secundùm leges priorum Triumphatorum deberent à nobis iudicari, & per nouas constitutiones non deberet Antecessorum nostrorum consuetudinibus derogari: cùm nos deterioris conditionis faciant, quàm Deus etiam voluerit esse Gentiles, cum dixerit, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Nos omnes regni Maiores &c.*

Huic

Huic non absimile quid queritur R. Episcopus. pag 33. *Vide verò quò res iam nobis peruenerit. Reges Gentium ij demum Reges sunt; quorum nullius in manu sceptra, nisi suâ: nullius ad nutum subditi, nisi suum: Miselli verò Christianorum Reges precarij sunt, Reges sunt tantisper dum P P. se probent, &c.* Et pag. 36. *Quid enim? Rex Ethnicus deponi non potest à Papâ, Christianus potest; meliore ergo iure regnatur apud Ethnicos.*

Ex his colligit *Becanus*, ex sententiâ R. Episcopi meliore conditione esse Ethnicos, quàm Christianos Reges. Parum candidè profecto, & prorsus ad inuidiam illi conciliandam. Sed prudens lector ingenium Sophistæ facilè deprehendit. Nam quod Episcopus *secundùm quid* dixit, ille quasi *simpliciter* dictum traducit. Ait Episcopus Reges Ethnicos, si verum sit quod pertendit *Robertus Tortus*, cùm nulli nisi Deo subijciantur, à nullo nisi Deo iudicari, ac deponi possint, meliore ac certiore iure regnare, quàm Christianos, si ad libitum, & libidinem P P. vbi semel increpuit, regnis suis exui, & vitâ etiam, si ita P P. videbitur, euitari possint. Vides comparationem institui inter eos, quo ad ius, & modum regnandi, non simpliciter. Potest

quid altero ſimpliciter melius eſſe, quod tamen ſecundùm quid=i. ſub aliâ aliquâ circumſtantiâ conſideratum, longè ſit deterius. Quid ergo in dicto Epiſcopi meritò quis reprehendat? Duo tamen inuenit *Becanus* meus, aut inueniſſe ſe putat 1. Incautè hoc dici. 2. Parum Chriſtianè. Ac incautè quidem, quia *retorqueri poteſt*, ait, *hoc modo. Si Rex Angliæ haberet poteſtatem deponendi Epiſcopos, (quod tu aſſeris) meliori iure eſſent Epiſcopi in Hiſpaniâ, Galliâ, Poloniâ, quàm in Angliâ. &c.* Reſpondeo, etiam alibi quàm in *Angliâ* Epiſcopos deponi poſſe, idque per Regem. Exempli gratiâ, in *Galliâ* nullus dubito quin à Beneficio, & iuriſdictione ſeu officio potiùs, deponi per Regem poſsit: hîc in *Angliâ* aliter depoſitos nullos memini, niſi qui temporibus Marianis ſimul in ignem impoſiti & cremati fuere. Eſto tamen; non poſsint alibi deponi quàm apud nos, ſint ſanè illa ratione meliori jure alibi quàm hic Epiſc. vt etiam quatenus lautiores Epiſcopatus habent; huc tamen non ſpectat, neque cauſſam tuam vel tantillum juuat. Deinde & hoc modo incautè loquutum Epiſcopum probas. Quia ſequeretur ex mente Epiſcopi, meliori quoque jure eſſe Ethnicos Reges, quàm

Chriſti-

Christianos, quia excõmunicari non possint etiamsi delinquant. Imperitè prorsus, & non satis pro dignitate tuâ doctorali. Nam etiamsi statueremus Regem excommunicari posse (quod tamen iam neque aimus, neque negamus) non tamen quatenus Rex est, excommunicari posse sequeretur. (Neque tu hoc tibi concedi postulares) sed quatenus fidelis est, & filius, ac membrum Ecclesiæ. Atqui comparatio instituebatur quo ad jus regnandi. Quid ergo tu tricaris de excõmunicatione? Præterea, consideretur excommunicatio vt pœna est; consideretur item vt medicina est εἰς σωτηρίαν, vt loquitur Apostolus. Fortasse ratione pœnæ quâ caret Ethnicus, meliori jure erit, non tamen quatenus excõmunicatio medicina est. Sic longè antistat Ethnico Christianus. Sed hæc non attingunt propositum Episcopo scopum, qui tantùm de jure regnandi loquitur, quod tu sophisticè dissimulas. Eadem responsione *nec Christianè* tuum diluitur. Eadem enim fallacia est, à *secundùm quid* ad *simpliciter*; à jure regnandi, ad esse simpliciter vel Ethnicum, vel Christianum. Ecquid te harum ineptiarum pudet, Becane? ecquid horum etiam verborum? *Satis ostendis te*

pluris facere regnum temporale, quod amittere non velles: quàm cæleſte, de quo non magnopere curas. Quid inciuilius abs te dici potuit? Quodnam enim illud regnum temporale eſt, quod nollet amittere Epiſcopus? An quod dici ſolet, *Quod non amiſiſti habes?* De regno cæleſti quod calumniaris, meliori profecto jure & ſperat, & curat R. Epiſcopus, qui æternam illam hæreditatem, ſolius Chriſti meritis adeundam ſibi credit, quàm Patres ſocietatis, qui *bonis ſuis operibus* (id eſt, interprete orbe Chriſtiano, regicidijs, ſeditionibus, proditionibus, lanienis &c.) *valorem, & dignitatem vitæ æternæ, abſque vllo pacto, & fauore Dei* adſcribunt: *Qui nullam bonis ſuis operibus dignitatis acceſsionem ex meritis, & perſonâ Chriſti fieri* putant. Verbo, Qui per cæcam obædientiam cælum ſe rapturos exiſtimant.

¶ *De VIII Paradoxo.*

TOrtura pag. 36. *Chriſtus, cuius hîc vicem obtendit Tortus, non ſic præfuit dum in terris fuit; regnum quod habuit de mundo non fuit; regnum quod de mundo fuit, non habuit: Regni quod non habuit vices non commiſit. Quod ſi P P. animus eſt ad regna mundi;*

eſt

est in Euangelio (memini) mentio de quodam, qui regna mundi penes se esse, eaque disponendi ius habere se dixit; illum adeat, illius Vicarius sit &c. Sensus est. Si P P. potestatem, & jus deponendi potentes de sede suâ, & reponendi sibi arrogat, Munditenentis, (ita κοσμοκράτορα vertit Tertullianus) illius vices eum gerere oportet, qui ostendens Christo *omnia regna mundi, & gloriam eorum, dixit ei, Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Benè Reuerendissime Præsul. *Nemo enim siue fidelis, siue infidelis* (doctrina præcipuorum Papicolarum est) *est verus Dominus, qui non recognoscit dominium, & iurisdictionem à Papâ*: Id est, qui non adorat P P. de geniculis. Quæ erat summa petitionis diabolicæ. Quid autem ad hæc Refutatio Torturæ? *Iocone*, inquit, *mi homo, an serio hoc dicis?* Ioco serio mi homunciole.

Ridentem dicere verum
Quis vetat? De contumeliâ in P P. quod objcis, frustra es. Non morabimur lectorem responsione vllâ. Vestræ historiæ testantur non alijs artibus ad hoc dignitatis culmen euasisse P P. experientia cotidiana non alijs, nisi Diabolicis, persistere.

Fraus tua, non tua laus. De injuriâ in Re-

gem noſtrum dignior viſio eſt. *An tu*, inquit, (*citrà iniuriam*) *auſus fuiſſes tuo Regi, cùm regnum Angliæ poſt mortem Elizabethæ petebat, ſiue ioco, ſiue ſerio reſpondere, Si regnare vis in Angliâ, Diabolum adi &c.* Neque joco, neque ſerio. Quid enim opus erat illud audere illum, qui rogandus non erat? Rex neceſſarius hæres erat nunquam ſatis laudatæ, nunquam ſatis laudandæ Reginæ: itaque delatam ſibi hæreditatem, ſtatim poſt abitum eius, ſolâ aditione acquiſiuit, petitione aliâ opus non fuit. Nam qui in Euangelio dixit, *Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit*: intempeſtiuè, & ante patris mortem hoc fecit; ille reuera petijt hæreditatem ſuam, non Rex noſter, qui expectans conſtitutum à Deo tempus, placidè mox, & pacificè regnum Angliæ adijt, furente licèt, & fremente Clem. VIII. Cui ſanè hoc fuit ἐχθρῶν non ὀφθαλμῶν, vt eſt in prouerbio, ſed ὠτῶν. Non miſit ergo Rex qui peterent, non erant ad quos mitteret. Omnia Regis erant, præter illorum animos, qui poculo meretricis ſe largiùs inuitârant, & proluerant. Quid ergo hîc audendum erat Epiſcopo? quid faciendum? Orandus tantùm illi Deus erat, vti quem ſuper Angliâ Regem conſtituerat, ſaluum,

ſaluum, & incolumem quoque ad nos perduceret; diuque Patrem Patriæ, & Eccleſiæ Anglicanæ Nutritium eſſe vellet. Sanè officij ſui rationem conſtare Epiſcopo, dubitare non debes, Martine. Nouit quid audere debeat, & quouſque: magiſtro Loiolitâ opus illi non eſt. Non eſt quod de ſacellis ergo, quod aiebas, ſollicitus ſit. Non eſt dignitas Sacellani, aut Eleemoſynarij, quæ officij ipſius lineas turbare poſsit. Quid autem juris P P. ſit in regna temporalia, & vtrum plus quàm Regi in Eccleſiam, videbimus, vbi, quod promittis, demonſtrabis. Interim hoc ſcio, de jure illo P P. in temporalia, ne nunc quidem, in tanto adulatorum & ſycophantarum prouentu, conuenire. Scio veterem Eccleſiam omne ipſi abjudicaſſe, quæ ne in ſpiritualibus quidem vllum ipſi attribuit, ſuprà quàm cæteri Patriarchæ, & Epiſcopi habuere. Conſtat hoc ex actis vetuſtiſsimorum VI. & generalium Conciliorum, Niceni, Conſtantinopolitani primi, Epheſini, Chalcedonenſis, VI. in Trullo, Carthaginenſis VI. Conſtat ex praxi multarum Eccleſiarum, quæ jura, & libertates ſuas viriliter contra P P. defenderunt. Sed ſqualorem illum, & ſitum vetuſtatis, quantum potuit,

potuit, deterſit Papa Romanus. Eccleſia jam ſine rugis eſt, quæ antiquis illis temporibus faciem eius arabant.

¶ *De IX. Paradoxo.*

DE Excõmunicatione majore, quæ eſt à conſortio & communione fidelium, ſiue Eccleſiæ, tria quædam quærit R. Epiſcopus pag. 41. Cui data ſit hæc poteſtas? Quæ latitudo eius? Cui ratihabitio eius de iure competat? Secundum quæſitum huc non ſpectat. De primo, & 3°. reſpondet Epiſcopus, Poteſtatem hanc non *Petro* vni, ſed Eccleſiæ datam eſſe. *Petrus*, enim, inquit, ſi peccauerit in eum frater eius, iubetur Eccleſiæ dicere. Eccleſiæ ergo data poteſtas, non *Petro*. Atque vti poteſtas *Petro* data non eſt, ita ſi eam vſurparet, ratihabitio nulla promiſſa eſt. Dicitur enim, *Quoſcunque ligaueritis*. De totâ ſc. Eccleſiâ. Ecquid hîc eſt παράδοξον? Nonnne hæc plurimorum ſanctorum, & certiſsima ſententia eſt? Ex Patribus laudat Pag. 63. *Origenem, Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum, Leonem, Euthymium, Rabanum, Theophylactum, Anſelmum, Hugonem, Druthmarum*. Potuiſſet *Cyprianum, Hilarium*, alios. Ex doctoribus, *Scotum*,

Pium

Pium 11. Lyranum, Cusanum, Gersonem, & in *Gersone* omnes illos qui Constantiensi concilio interfuerunt. Pergit pag. 42. *Ita Petro non datur vni, non in vno habetur rata, non ab vno in praxim deducitur. Res ipsa, rei ipsius promissio, ratihabitio, vsus denique Ecclesia datur; ab Ecclesiâ & habetur, & transfertur in vnum, siue plures, qui eius pòst vel exercendæ, vel denunciandæ facultatem habeant.* Atque hanc sententiam concluſam fuiſſe, ait, in Concilio Conſtantienſi, poſt longam diſceptationem. Quicquid his duabus Epiſcopi propoſitionibus (Claues ſunt datæ Eccleſiæ, Et, Eccleſia poteſt earũ vſũ in vnũ aliquem, aut plures transferre) opponi poteſt, idem eadem ratione tot clariſsimis dictis ſanctiſs. Patrum, magnorum Doctorum, adeoque decreto Concilij (annon generalis?) Conſtantienſis aduerſari neceſſe eſt. Sunt enim geminæ germanæ illorum, & Epiſcopi concluſiones. Et ſi quid abſurdi ex verbis, & ſententiâ Epiſcopi deduci poteſt, idem ex eorum pronunciatis, eadem operâ, deducetur. Sanè illud ipſum, in quo ſibi tantopere placet *Becanus*, de excommunicatione inceſti apud *Corinthios*. Hoc primùm. Deinde ſcire licet R. Epiſcopum nomine Eccleſiæ non plebem,

ſed

sed pastores intelligere; (Neque enim existimat potestatem clauium à plebe in pastores deriuari) & opponere multos vni. Id est, non soli *Petro*, & *Petri* successoribus, sed reliquis Apostolis, & eorum successoribus æqualiter datam esse potestatem illam, & posse illos vsum illarum clauium, vel vni alicui, vel pluribus, vt *Paulus* in excommunicatione incesti fecit, committere. Stultissimum ergo est quod ais, ex doctrinâ Episcopi sequi, *Paulum* potestatem clauium ab Ecclesiâ Corinthiorum accepisse. Solita ἀλογία tua est, Ab Ecclesiâ: ergo ab Ecclesiâ Corinthiorum. Sed & exemplum tuum ineptum est. Scimus enim, & *Paulum*, & reliquos Apostolos, à Christo immediatè, non ab Ecclesiâ vocatos, & ordinatos fuisse: cur ergo hoc huc traxisti? Sed omnem impudentiam superat, quod mox subiungis, ex doctrinâ Episcopi sequi potestatē excōmunicandi apud nos, non esse in Episc. sed Ecclesiâ, & ecclesiam iniquè agere cum Rege, quòd Episcopis illam potestatem potiùs, quàm Regi suo tribuat. Nam neque per Ecclesiam id, quod tu somnias, intelligit Episcopus: neque tale Caput, talem Pastorem, talem Ecclesiæ nostræ Primatem Regem constituimus, qualem

qualem tu, etiam reluctante conſcientiâ tuâ, nos facere impudentiſsimè mentiris. Deus te increpet, *Becane.*

¶ *De Paradoxo. X.*

QVOD eſt de Antichriſto. Audiamus Epiſcopum pag. 186. loquentem. *Mirari tamen non debeat quis, ſi non illis (patribus) tum omnia adeò explicita fuerint, quàm nobis per Dei gratiam iam ſunt, qui conſummatam iam Prophetiam illam, quotidie oculis vſurpamus.* Hic explicaturum omnes copias ſuas exiſtimabam Becanum. Sed ab infortunio ſibi cauere voluit, & materiam hanc omnẽ ſilentio præterire. Antichriſtũ enim pridem nobis Reformatum dedit: ſed quem non dubito breui Deformandum. Quid ergo hîc agit? Ait Epiſcopũ primùm *Regi ſuo contraria ſcripſiſſe, Deinde etiam ſibi ipſi.* Bona verba mi homo. Non ita eſt, oculis mentis tuæ malè vteris. *Brillen Brillen* Antuerpiâ tibi petendum eſt. Vide. Scribit ſereniſſ. Rex: *Sanè quod ad definitionem Antichriſti, nolo rem tam obſcuram, & inuolutam, tanquam omnibus Chriſtianis ad credendum neceſſariam vrgere.* Sequitur ἀνεπίσκοπον ἐπιχείρημα. *Sed quid de toto hoc negocio ſentiam, nudè, & ſimpliciter explicabo.* Clariùs in fi-

ne

ne dissertationis illius præstantissimæ. *Id autem mihi maximè in votis est, vt si cui meam hanc de Antichristo coniecturam libebit refellere, singulis disputationis meæ partibus ordine respondeat: nec illi satis sit meam sententiam condemnare, sed methodum meliorem, ad Apocalypseos expositionem, subijciat, quæ neque vlli contextus parti repugnans sit, nec ineptum aliquid, absurdumque contineat.* Ecce Rex loquitur de descriptione totius negocij, seu mysterij Antichristi, quod profecto obscurum, & inuolutum est adhuc. Multa enim restant reuelanda Deinde loquitur de totâ serie suæ expositionis integræ Prophetiæ, quam, ne sibi nimium arrogare videretur, *coniecturam suam* appellat. Non quasi Papam Antichristum esse dubitet Sereniss. Rex noster Quia aliquot ab hinc seculis multi Pontificiorum, vt ex Auentino, & alijs constat, super eo non dubitârunt. Imò ne nunc quidē desunt doctiss. & consultissimi viri inter Pontificios, qui non valde hoc negare solent, quin in disceptationibus sæpe eo tanquam validissimo argumento vti solent, vt Rom. Ecclesiam, veram Ecclesiam esse euincant, quod P.P. in eâ Antichristus sedeat: & tamen Ecclesiam ipsam Antichristianam non esse pertendunt.

tendunt. Vide vel magni Thuani [illegible]. Neque Tortura Torti verbis illis, *Qui consummatam iam Prophetiam illam quasi oculis vsurpamus*, aliud intellexit, quàm ipsum Antichristum reuelatum esse, & eâ ex parte consummatam esse Prophetiam: non autem quasi omnia quæ de illo aut sede eius prædicta sunt, reapse impleta sint. Nihil minus. Multa adhuc supersunt, etiam antequam [illegible] illc [illegible] lapidem in mare projiciat Apocal. XVIII. ex Ierem. 51. Cui simillimi ritus inter Ethnicos mentio extat apud Scholiastem Sophoclis. Multa adhuc nobis incognita sunt, de quibus probabiles tantùm, & verisimiles conjecturas habemus. Et tamen verissimè dici potest, Prophetiam ipsam vsurpari oculis: vti solem orientem vel occidentem æquè videre nos putamus, atque decurrentem, aut culminantem. Non ergo Regi contradixit Episcopus. Multò minùs sibi. Nusquam enim dixit Regem excommunicari posse à P P. Et si dixisset, prætitatis abs te verbis nullo inconciliasset modo. Mirus nugatores, Martine. Vsque adeo ne definitum & constitutum est inter Doctores vestros, Antichristum vestrum, vbi aduenerit, cum Iudæorum Messiâ excommuni-

communicare, absoluere, alia sacramenta efficaciter administrare non posse? Sanè de Diabolo hoc controuerti inter Scholasticos benè memini. Sed antequam me hinc faceſſo, operæ pretium erit, præſtantiſſimi cuiuſdam viri epiſtolam hic ſubijcere. Cõtinet enim quędam, ſuper Prophetiâ Antichriſti ſcitu digniſſima. Ea autem eiuſmodi eſt.

Quod locum attinet Apocalyp. XVII. En quæ mihi de eo constant. Mareſchallus... p. *m. cùm Romæ esset, quo tempore Pasquillus liberè, & impune loquebatur de sanctiſs. Patre & ipsius fide, didicit à viris fide dignis, pro certo in Tiarâ pontificali scriptum fuisse in frontali, literis aureis,* MYSTERIVM. *Et postea, quum tiarâ illa reficeretur, loco Mysterij repositum esse nomen* Iulij. *Quæ vbi intellexissem, rogabam per literas Dominum..... Legatum tunc temporis Romæ, vt ipsi placeret, me isto beneficio afficere, & visitare Tiaram memoratam: mihique scribere id, quod scriptum, aut sculptum esset in Frontali. Visitauit, & inspexit sedulo, mihique scripsit, Tiaram illam, fuisse ornatam gemmis ineſtimabilibus: & in frontali scriptum fuisse literis per adamantem,* IVLIVS PONT. MAX. *Si scire vis vtrum fuerit* Iulius II. *aut* III. *non possum affirmare,*

quia

quia non memini. Me quod attinet, non dubito quin Papa, qui se dicit Principem Sacerdotum, voluerit imitari in eo, magnum Pontificem Legis, qui habebat in Frontali scriptum קדש ליהוה, *cuius loco iste reposuit titulum Christianum, analogiâ quadam respondentem legali, videlicet* Mysterium. *Nam ex nouem nationibus Christianis diuersarum linguarum, quæ hodie extant in rerum naturâ, ne vna quidem est, quæ non vocet Leitургiam, Mysterium: id quod omnes mutuò acceperunt à græco* Μυστήριον: *quæ lingua mater est istius nominis. Breuiter omnes linguæ vocant Missam, Mister, Mistir, Mistri, Misterion, etiam ipsi Latini. Quia nomen Missæ aut intelligitur, aut non intelligitur. Ecce quid obseruare potui in his tenebris: & vellem me posse tibi satisfacere, non solùm in hac re, sed & in aliâ quauis. Cæterùm locus illius capitis dignus est consideratione.* Καὶ ὅτι τὸ μέτωπον αὐτῆς ὄνομα γεγραμμένον ΜΥΣΤΗΡΙΟΝ, Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, ἡ μήτηρ τῶν πόρνων, καὶ τῶν βδελυγμάτων τῆς γῆς. *Nam nihil erat inscriptum præterquam illud quod dicit* ὄνομα μυστήριον: *reliqua quæ sequuntur* Βαβυλὼν ἡ μεγάλη *&c. est vera interpretatio adiecta ab Apostolo. Ac si diceret, Quæritis quid sit hoc Mysterium? Babylon illa magna, mater Catamitorum &c. Similis locus apud* Tertullianum *in* Valentin. *Illa Mysteria Attica posteaquã* ἐπόπται, καὶ κήρυκες ἐνιδρυ-

 dun

diu torserunt expectatione sui, quum putant aliquam speciem diuinam sibi obiectum iri, ecce φάσμα, aut veretrum humanum in pompâ gestatur, &c. Locus autẽ iste Apocal. ita debet intelligi, cùm sit elegans in hoc sensu Quia Babylon, *aut* Roma *nollet se dici Matrem Catamitorum: sed specie sanctitatis est mater Catamitorum. Transtuli Catamitorum legendo* πόρνων, *non autem* πορνῶν. *Non quod illud alterum non sit bonum: sed quoniam iste liber est purè Hebraicus: & nomine* πόρνων *intelligit eos quos Scriptura vocat* קדשים. *Ita correctio illius loci, & expositio verissima est. Vetus interpres legit* πορνείαν. *Vale.*

¶ *De XI. Paradoxo.*

TORTVRA pag. 53. *Quod si præsentis, inquit, instituti foret, edoceri posses, Serenis. Magnæ Britanniæ Regem, & qui cum illo sentiunt Reges Daniæ, Sueciæ, Principes Germaniæ, Resp. Heluetiæ & Rhetiæ, quique per Galliam, Belgium, Poloniam, Vngariam, Bohemiam, Austriam, Ordines à nobis sunt, partem esse Dominici gregis, nec minorem, nec minùs illustrem partem, quàm quæ est pars Paulli V.* In his verbis tria exagitat Refutatio *Torturæ*. 1. Negat verum esse, quod Reges illi &c. cum Rege nostro in rebus fidei idem sentiant. Profecto negare non possumus, quin

inter

inter Ecclesias illas, quæ diuino iussu ex *Babylone* migrârunt, grâuissimæ, & acerbissimæ de rebus Theologicis controuersiæ controuertantur: Diabolo, permissione diuinâ, μὴ χειρὸς, ἀπὸ γλώσσης ἀγκάλης discordiarũ, ac contentionum vbiq; semina spargente: tamen quia in præcipuis, & maximi cuiusque momenti articulis fidei conueniunt, meritò idem inter se sentire dixit *Tertull.* An Patres olim in multis dissidentes inuicem, & preciosa, vt ille ait, odia sæpe exercentes, propterea in rebus fidei non idem statuisse dicemus? An vobis, (vt vetera omnia, etsi nondum sopita, omittam) iam præsertim in Hispaniâ, & Italiâ turbantibus super præscientiâ, & iusticiâ Dei: super gratiâ, & libero arbitrio: super prædestinatione, & reprobatione, alijsq; eò spectantibus quæstionibus: An vobis de ipsâ PP. potestate, iure, & primatu inuicẽ digladiantibus obijci patienter, & æquo animo feretis, in rebus fidei vos non idẽ sentire? Non puto, si sapitis. Scilicet vnitas vobis Ecclesię nota est, vel præcipua. Sed nota quæ Ecclesiæ vestræ non magis, quã toti Christianismo conuenit. Nam & vos varijs sectarũ libidinibus (ita loquitur *Tertull.*) & sententiarum æmulationibus semper discordâstis.

Ecquę ergo impudẽtia eſt, nõſtris Eccleſijs id obijcere, quod veſtræ nobiſcum cõmune eſt? Aut fatemini vos in rebus fidei non idem ſentire, aut nos idem inter nos ſentire concedite. AEqua poſtulatio eſt. Proximũ quod allatrat Refutatio *Torturæ* eſt, quod *Proteſtantes dicantur pars gregis Dominici potiùs, quàm totus grex.* Hoc capere ſe poſſe negat *Becanus.* Equidem capitale ingenium illum habere credidi hactenus: iam iubet me omnia alia ſentire. Sed quid eſt quod captum illius obtudit? *Vel*, inquit, *præter eos, qui antè nominati ſunt, adhuc alij pertinent ad Dominicum gregem, vel nulli &c.* Reſpondeo, Alij tanè, & multi; inter cæteros etiam Pontificij, quanquam aliter, atque aliter. De quo non eſt nunc diſputandi locus. Quid malum? An putat Proteſtantes tam exſenſâ, aut externatâ mente eſſe, vt Dominicum gregem ſuis tantùm caulis includere audeant? vt putent cùm Donatiſtis *in meridie tantùm paſcere, tantùm cubare?* Non. Romanenſium illa ſuperbia eſt (ne quid grauiùs i. veriùs dicam) illi extra pomeria ſua nullũ gregem Dominicũ agnoſcunt. Atqui grex Domini maior eſt, quàm vtvel illorũ vel noſtrorum etiam lineis circũſcribi poſsit. Habet Dominus etiã alias oues.

oues. Neque tamen ideo in duas, aut plures partes dissectus est grex Domini, quod putat Becanus, sed in varias caulas variè distinctus. Quid ergo hic fuit, quod rusticus aliquis Kempensis vestras statim non percepisset? Ego hoc non capio. Postremum quod Episcopo vitio vertitur est, quod *partem hanc gregis Dominici, nec minorem, nec minùs illustrem esse scripserit, quàm quæ est pars Paulli V.* Hoc quoque se capere posse negat, quâ fronte Episcopus scripserit. Ego contrà minùs capere possū, quomodo hominē tam angusti captus in societate suâ ferant Prouinciales Iesuitarum, qui vrbicapi, regnicapi, & quidquid volunt, vulgo audiunt. Mihi qui angustioris longè captus sum, facile, & procliue videtur, Episcopi pronunciatum hoc præstare. Non opus est Calculatore Suisset. Subducatur ratio, quot, in multis il is locis, quæ nominâsti, Ecclesiæ Protestantium reperiantur, quot in alijs, quæ neuter vestrum memorauit; quot aliarum sectæ religionum: (quæ etsi numerum nostrum non explent, vestrum tamen deplent) facilè constare cuiuis poterit, rationem R Episcopum non fefellisse, multo minùs Regi palpum obtrusisse. Nam quomodo tali in

re? aut quid hoc ad Regem? Profecto Rex tam intelici fidere natus non est, vt hoc animaduertere non possit, aut tam angusti animi vt pati velit. Neque Episcopus tam Lotolita vt facere audeat. Alius spiritus est. Nimis intemperans es, Becane, in calumniando, & maledicendo. Sufflaminanda tibi est tam procax, & præceps lingua.

¶ *De Paradoxo XII.*

AIs Episcopum scribere, *Regi nostro liberum non esse mutare religionem, aut Catholicam in suo regno admittere, eò quòd his iurauerit, se id non facturum* ex pag. 81. Torturæ. Supinè, & more tuo. Non dixit, *Liberum non esse*, sed *integrum*. Quæ duo, vt scire te puto, multum differunt. Non dixit, *mutare religionem*, sed *liberè habere*. Et illa quoque differunt. Extantque vestrorum Theologorum libri aliquot, in quibus neque integrum, neque liberum hoc esse Regi, aut Reip. pertenditur. De *Catholicâ autem non admittendâ*, verbum non fecit Episcopus. Nam quorsum? Pridem illa in Angliam admissa est. Neque n. de aliâ consetuandâ iusiurandum præstitit Rex, quàm veteri Catholicâ, quæ tribus veteribus symbolis, quatuor generalibus prioribus

prioribus concilijs comprehenditur. *Prouocamus*, inquit Episcopus. pag. 80. ad *antiquos, ad antiquitatem vsque vltimam*. Hanc religionem, hanc fidem Regi *Defendendam* monet, non *minatur* Episcopus. Hanc mutare, aut aliâ nequiore, vt vestrâ, maculare, integrum negat esse Regi, propter iuramentũ præstitum. Tricaris ergo, cùm Episcopum de religione quauis iuramento confirmatâ loqui fingis. Becane, aliqua religio iuramento firmata mutari potest. Nostra, quia Catholica, quia antiqua, quia Apostolica, mutari non potest. Veni, & vide articulos fidei Ecclesiæ Anglicanæ, scibis *ab initio sic fuisse*. Non ergo *illegitimè* aut *imprudenter* factum à Rege nostro, vt de corruptelis Romanæ fidei *moneret Fratres*, & *Consanguineos suos*. Quanquam non tam hoc ibi agit Serenis. Rex, quàm vt eos excitet ad vindicandum jus suum, vt seriò attendant quò tendat Pontifex, quid agat, quid moliatur quotidie contra eos. Summa, ne sinãt illius artibus Maiestatem suam minui. Fraternum consilium, & amicum monitum. Tamen hoc tam *sacrum Caput* cauere non potuit, quin etiam hîc abs te, luto impeteretur. Nam quem alium in finem ais Episcopum Regi suo *à ca-*

lamo esse? Vide Becane, quid petulantiâ hac tuâ consecutus sis, nimirum vt inuitus Regem, & Episcopum summè laudaueris. Non opus est *Delio natatore*. Res plana est. Profecto nullis calumnijs vestris, nullo loliginis succo efficietis, vt Inclytus Rex noster non sit doctissimus, vt R. Episcopus non sit doctissimus, vterque, quod de Aristotele olim ferebatur, τὸν πάνυ βάσκανον εἰς πᾶν.

¶ *De Paradoxo XIII.*

HOc paradoxon pridem expunximus, cùm de conuicijs responderemus. Nam quod hîc præterea subjungitur de Votifragio Lutheri, *Res est ridicula, & nimis iocosa*. Quomodo enim Lutheri factum excusare potest culpam Bellarmini? Sed de Lutheri votifragio ipse pridem Lutherus cauit, & alij post eum. Fuit indebita materia voti.

¶ *De Paradoxo. XIV.*

VErba sunt Episcopi pag. 136 *Vos autem qui fidem, & fidei vincula iuramenta solutis, quò perfidis esse liceat: vos qui fidem non seruandam. i. perfidiam licitam legitimamque docetis.*

docetis. &c. His veriſsimis, & omni luce manifeſtioribus verbis audet oppedere Becanus. Audite rabiem Theologi, & hominem, qui conuiciari Chriſtianum dedecere vociferatur, diſcite. *At mi homo, inquit, qui ſunt illi apud nos qui ſic docent? Si nihil aliud, quàm mentiri, & calumniari propoſitum tibi eſt, non magnopere miror te iſta ſcribere. Eſt enim (quod pace tuâ dixerim) luculentum mendacium, & aperta calumnia.* At mi homuncio, niſi ego hodie R. Epiſcopum abſoluero, & te impudentiſsimi, & luculentiſsimi mendacij, & apertæ calumniæ conuicero, Patribus ſocietatis me nexu, mancupioque æternum dedam. Quæris qui ſic doceant? Reſp. Omnes illi qui hæc, Gregorij VII. probant. *Nos Sanctorum Prædeceſſorum ſtatuta* (quæ, & vbi extantia, Gregori?) *tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate, aut iuramenti ſacramento ſunt conſtricti, Apoſtolicâ* (an Petri?) *auctoritate à ſacramento abſoluimus, & ne ſibi fidelitatem ſeruent omnibus modis prohibemus.* Vide Canoniſtas. Omnes quoque idem docent qui Thomæ hanc concluſionem interpretari ſolent, *Quàm citò aliquis per ſententiam denunciatur excommunicatus propter Apoſtaſiam à fide, ipſo facto eius ſubditi ſunt abſoluti à dominio*

dominio eius, & iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur. 2, 2 qu. 12. art. 2. Vbi Apostasiam interpretantur de hæresi aliquâ, v. g. Lutheranâ. Vid. Caietan. Bannes, Valentiam, & reliquos commentatores. A quibus si rationem huius dicti roges, nihil aliud respondere se posse ingenuè profitebuntur, quàm, *Hæc omnia non aliter probantur, quàm ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ, quæ est legum interpres.* Id est, ex cotidianâ praxi Papatus. Egregia meherele probatio, & cui fides Christiani tutò innitatur. Idem docet Constantiense Concilium. Idem docet, & laudat Simancha Iesuita. Verba Simanchæ. *Ad pœnam quoque hæreticorum, & odium pertinet, quod fides illis data seruanda non sit. Si enim tyrannis, piratis, & prædonibus, fides seruanda non est, qui corpus occidunt; longè minùs hæreticis pertinacibus, qui occidunt animas.* Quin ne fidem quidem *iuramento firmatam* ipsis seruandam paullò pòst affirmat. Vide plura ex eodem, & alijs vestris, quæ vtiliter collegit eruditissimus Daniel Plancius. Et scriptorum tuorum de hac materiâ caue sis amplius memineris. Sed quid tergiuersaris? Nonne hoc ipsum jam docet, & *mille per mæandros* defendit *tortuosus serpens* Mathæus Tortus?

Quâ

Quâ enim de re agitur? Annon hæc est, *Regi nostro* (hæretico) *fidem, & obedientiam præstandam non esse*? Siue hoc interpretabimur cum Caietano, *licitè posse non seruari, vel præstari*: siue cum auctore huius pestilentissimæ doctrinæ Gregorio VII. *non deberi*. Vides tot testimonijs summorum inter vos virorum, columinum Ecclesiæ Rom. splendidissimi mendacij reum teneri, qui *aliam apud Catholicos doctrinam inueniri* dicebas, atque Episcopus affirmauerat. Esto, sint aliqui inter vos, qui secus atque illi sentiant; qui Papæ, qui Concilio, qui omnibus illis contradicere audeant: ego profecto ciecum non interduim. Ostensionales tantùm sunt huiusmodi libri. Eadem res, sed honestioribus verbis docetur; idem venenum, sed alio modo, i. suauiùs propinatur. Praxis Ecclesiæ, vt fatetur Bannes, alia est, & fuit.

¶ *De Paradoxo XV.*

Ad hæc respondeo, quidquid. Nam & hoc, cùm inter conuicia Sacellani duceretur, dimittendum curauimus. Quale enim, quæso, paradoxon hoc, aut quale conuicium dicendum est, *Iesuitæ sinistrâ audiunt*? Sed

hæc

hæc Loiolitarum ἐκκλησίαι emblemata, & inſertæ ſunt, *de re nihili plurima dicere.* Sic libros procudunt, & homines octari non patiuntur.

De Cap. III.

Siue de primatu Regis malè defenſo *ab Epiſcopo.*

QVI ſtatim initio libelli ſui conuicia bonum virum decere negabat, ecce caput hoc ordi. tur ab ijs. Vſque adeò pro. pria eſt Sectarijs his conuiciandi libido, vſque adeò incocta maledicendi rabies. Non poſſunt ſe deiungere ab hoc ſtudio. Itaque nullum librum ſine mẽdacijs, ſine conuicijs, aut calumnijs inſtituunt.

ἐκκλησίαι τοῦ ἁγίου, ἡ συμμαχία Societatis. Quæ ſi ipſis deſint, Aii Locvtii eſſe deſinent. *Sed videant quis orum ſit theſaurus, vnde proferuntur tot conuicia. Et caueant, quia maledici regnum Dei non poſſidebunt.* Quod rectè & appoſitè contra exemplum ſuum, ex Apoſt. monuit ipſe *Becanus.*

Ait

Ait ergo, R. *Episcopum adulandi studio* pro. pugnare aggressum primatum Ecclesiæ, quem Rex sibi vsurpat. Ait *infelici euentu* hoc ausum esse, idque se nobis probaturum. Porrò quàm non sit Regis adulator Episcopus, quod calumniatur Loiolita, retrò me aliquoties monere memini: quàm non infelici euentu primatum illum propugnârit; stultitiâ, & futilitate argumentorum quæ obijcit aduersarius, cõuincam. Satis scimus quomodo vltra vires suas sese iactare soleant Patres Societatis, quibus imposturis in animo simplicium influere. Duo sunt, quæ præstaturum se spondet Miles. *1 Ex principijs Episcopi colligi argumenta, quæ primatum Regis euertant. 2. Ea quæ affert Episcopus pro primatu Regis, tam parui momenti esse, vt res in contemptum abeat. Dæmonie, perdet te robur tuum.* Argumenta Militis, quæ causæ Regiæ intentat, videamus an bene tersa, an famiata benè sint.

¶ *De primo Argumento.*

QVOD est à definitione Primatus negatiuè. *Ille non habet primatum Ecclesiæ, qui nullã habet iurisdictionẽ Ecclesiasticã. Rex ex sententiâ Episcopi nullam habet. Ergo non habet*

habet primatum Ecclesiæ. Quàm autem plũ. beum hoc sit argumentum, quàm nullius momenti, vt manifestò constet, ttibus his propositionibus rem omnem sub oculos ponemus.

1. Papa in aliorum principum regnis non habet supremam potestatẽ ciuilem in cuiusuis ordinis ciues. Nam neque Christus vllam illi dedit, neque vetus Ecclesia habere vnquam existimauit. Nouitius hic furor est, veræ & venerandæ antiquitati omni incognitus; & ne iam quidem, etiam inter ipsos, satis in confesso, aut receptus. Sed neque vllam Ecclesiasticam iure diuino, verùm ex constitutione tantùm, & ordinatione Ecclesiæ. Quæ non alia, aut maior est, quàm quæ cæterorum Archiepiscoporum, aut Patriarcharum fuit, idque adeò ijs solummodo locis, vbi pro Patriarchá agnoscitur.

2. Omnes Principes, etiam pagani, obiectiuè habent supremam potestatem 1. in omnes omnino personas suorum subditorum quà ciues sunt, siue sint Ecclesiastici, siue Laici. Neque moramur siue ille sit *Cæcilianus*, siue *Maternus*, siue *Rheticius*, siue etiam *Meltiades* Rom. Pontifex. Imò ne ipsos quidem Apostolos Domini

exci-

excipimus, qui omnes subditi principibus vixerunt, omnes mortui sunt. 2. Etiam generatim in res ipsas, siue ciuiles sint, vt in ordinandâ Rep. domi, militiæque &c. Siue etiam sacræ, vt in cultu Diuino, & religione procurandâ, saltem quo ad modum, & exercitium. Quod omnium nationum historiæ testantur. Etsi autem Ethnici potestate illâ contra Deum vsi sint; hominum illud, potestate à Deo sibi in bonum finem datâ abutentium, non potestatis vicium fuit. Verùm longè specialiori ratione hæc potestas in rebus Ecclesiasticis, Regibus olim Israelis, & nunc Christianis competit. Nam & illi, eò quòd de synagogâ erant; & hi, eò quòd de Ecclesiâ sunt, majus quoddam, & specialius jus acquirũt in his talibus causis, quàm eò quòd simpliciter Reges sunt. Profecto aliter Cyro dicitur, *Pastor meus es*; aliter Dauidi, *Tu pasces populum meum Israel.* Quod alibi monere memini R. Episcopũ. Ideoq; Christiani Impp. & Reges, quanto melius hanc potestatẽ suã agnouerunt, tanto majore curâ & studio caussas, & cõtrouersias Ecclesiasticas cognoscere, & modiperatores earũ esse voluerunt. Plena exemplorũ est historia Ecclesiastica. Neq; enim ab alijs

conuocata sunt concilia vetera, quàm ab Impp. ipsis, aut potestatem conuocandi Episcopis facientibus. Imò Decreta Conciliorũ,& Patrum Ecclesiasticis censuris,& ~~imperio~~ tantùm stetissent, nisi legum vim Cæsarea aura ipsis afflasset.

Hæc Christianorum principum suprema potestas in res Ecclesiasticas, non est iurisdictio vlla spiritualis propriè dicta,iuris scilicet Ecclesiastici dicundi, aut exercendi in proprijs personis; sed est iurisdictio externa, Architectonica, & supremi ordinis, gubernatiua, & directiua in rebus Ecclesiasticis, quæ omnes omnino subditos continet in officijs suis omnibus præstandis, tam religionis erga Deum,quàm iusticiæ erga proximum.

His ita positis, respondeo ad propositionem majorem. Falsa est: Nititur enim fictitiâ, & falsâ definitione Primatus, seu Suprematus Ecclesiæ. Qui non erat Becano per iurisdictionẽ Ecclesiasticam, sed per gubernationem supremam,& nulli alteri subditam definiendus, vtcunque illa gubernatio vocetur. Alij enim aliter appellant; Hic ille est suprematus,vel primatus, quem Reges nostri vsurpant, quem Theologi nostri propugnant, quem diser-

tè &

tè & distinctè latéque prosequitur, & explicat Episcopus, pag 380. Quâ conscientiâ ergo, Becane, cùm ista istic legeres, statum controuersiæ mutare ausus es? Testor conscientiam tuam, nisi planè cauteriatam gestes, annon hoc est plenariâ voluntate falsum testimonium dicere? Ad hunc sensum tibi deinceps dimicandum esse ergo scito: & noli, vt tanto Regi odium, & inuidiâ parias, conscientiam tuã temerare. Disputa ad idem. ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐρχόμενοι τοῦ τέρματος quod Græci aiunt. Nam quis tunc rixarum finis? quæ meta? De Minore propositione Syllogismi non est quòd mihi negocium facessam. In confesso est apud omnes, vt puto, Theologos. Saltem quo ad prius membrum, de foro interiore, Iurisdictionem fori exterioris quin Laicus, etiam femina exercere possit inter vos fere vbique conuenit. Nos Regi non attribuimus. Quare quod in illâ probandâ tantum operæ posuerit Becanus, ex more, & disciplinâ scholæ suæ fecit, vbi semper ἐπὶ τὰ ψυχρὰ μύσται.

De Argumento secundo.

QVod eodem elencho laborat. Est autem à duplici attributo primatus. Hoc

modo *Qui neminem poteſt excõmunicare, ipſe autẽ excõmunicari poteſt, is non habet primatum Eccleſiæ. At Rex, ex doctrinâ Epiſcopi, neminem poteſt excõmunicare, ipſe autem ab alijs excommunicari poteſt.* Ergo. *Mator*, inquit, *certa eſt*: ideoque non probat eam, ſed tantùm illuſtrat diſsimili ſimili. Atqui nos Majorem exſertim negamus vel probabilem eſſe, qui primatum, ſeu ſupremàtum Regium non in functione alicuius Eccleſiaſticæ adminiſtrationis, ſed in ſummâ, vt diximus, gubernatione functionũ Eccleſiaſticarum, ponimus. Hic ſtatus cauſæ eſt, hoc τὸ κεφάλαιον. Sic n. primatum ſuum, ſic Patris, & fratris ſui explicuit æternæ memoriæ Regina Elizabetha in *Iniunctionibus* anno 1559. editis, vbi, contra calumnias tumultuantium tum Papiſtarum, juramentum fidelitatis interpretatur. Verùm, an ille qui ab alijs excommunicari poteſt, primatum Eccleſiæ habere non poſsit, viderit Ieſuita. Sanè Pontifici ſuo parum cauiſſe videtur. Nam Iohannẽ XXIII. (quem major Chriſtiani orbis pars Rom. Pontificem venerabatur) Concilium Conſtantienſe: Eugenium IV. Concil. Baſilienſe depoſuit. Quod multis proſequitur AEneas Syluius lib. 1. de geſtis eius Concilij. Puto autem non

inuitè

inuitè conceſſurum Becanum, Excommunicationem plerumque præcedere depoſitionem. Multa in hanc ſententiam teſtimonia proferre poſſem etiã papiſtiſsimorũ, etiam Paparum: ſed vnico, eoque luculento Gerſonis inſiſtam. Ille De auferibilitate P P. conſid. 12. *Auferibilis eſt in caſu, inquit, Vicarius ſponſus Eccleſiæ, per Eccleſiam, vel generale Concilium authoritatinè, iudicialiter, atque iuridicè. Claues enim datæ ſunt nedum vni, ſed vnitati. Sic Symmachus, ſic B. Marcellinus, ſic ipſe Gregorius concilij iudicium ſubiere. Non ex humili condeſcenſione, ſicut fingunt aliqui: ſed ex debito, & obligatione. Quia autem de crimine conuicti non fuere, relicta eſt cauſſa eorum examini Iudicis Dei terminanda.* Atque hæc Major fuit, cuius hanc illuſtrationem ſubjecit. Nam *ſicut is non cenſetur Rex, qui neminem quantumuis flagitioſum poteſt ex regno proſcribere, & tamen ipſe, ſi deliquerit, proſcribi poteſt; ſic ſe res habet planè in noſtro caſu. &c.* Non planè, Becane. Immò diſsimilis ratio eſt. Nam proſcribere, & non poſſe proſcribi, propria ſunt *Regum timendorum in proprios greges*, & ad ipſos cælitus delapſâ auctoritate, ac peculiari quadam ratione ſpectant. Excommunicare verò, vel excommunicari, nullo

modo ad ſupremarum Eccleſiæ pertinent, ſed tantùm, vt prædiximus, eorum gubernatio quædam, videlicet, quando, quouſque &c. exerceri debeant. Etiam in quas perſonas. Vbi boni principis erit, ſuis ſe legibus ſubmittere. Vox eſt maximi Principis. *Hæc eſt vera, & principe digna profeſſio, Legibus ſuis aſtrictum ſe principem confiteri.*

De Minore pauca dicam. Ac primùm fateri nos omnes, *Regem excommunicandi poteſtatem nullam habere* An verò ſic Pontificij Reges? An nullũ cenſuræ Eccleſiaſticæ jus ſibi vſurpant? Audi, Becane, de tuo Rege loquentem Aſcanium Columnam Cardinalem, in diſceptatione quadam ſuper Regno Siciliæ cõtra Baronium p. 161. Ait, *Regem Hiſpaniæ non ignarum Monarchiæ, Perſonam a maioribus ſuis hæreditario iure acceptam, tot Pontificum auctoritate permiſſam, grauiſsimo doctorum hominum iudicio probatam ſuſtinere, tueri, gerere. Nimirum cùm in Siciliæ regno ſe pro Legato nato gerat, quæ ſunt Legatorum à latere propria, omnia efficiat: id eſt, Abſoluat, excommunicet, appellationes ad ſedem Rom. impediat, nuncios eiuſdem ſedis non admittet, nec reſpectu Eccleſiaſticæ iuriſdictionis Apoſtolicam ſedem ſuperiorem recognoſcat.*

cognoscat. Et alia quæ ibidem scribit diser-tissimus Cardinalis. Cur ergo non huic potiùs Regi omnia illa objicitis, quæ quotidie contra Regem nostrum, delicium Orbis Christiani, despumatis ? Sed cauti, & prudentes estis, vetus illud nostis, *Caue, Caue Canem.* Hic in proximâ vicinâ est, non frustra gestat gladium Hispanus : quàm non sinat sibi os sublini pridem experti sumus. Deinde dico frustra esse Aduersarium, qui tam confidenter hoc repetat, R. Episcopum fateri *Regem à P P. excommunicari posse* : magis verò majorem in modum, cùm inde colligit Regem P P. inferiorem esse : contrà quàm in diurnâ suâ admonitoriâ scripserat Serenissimus Rex. Sed nego tibi, Episcopum hoc vspiam dicere; tantùm ait, *Pontificem hoc fortè posse.* Id est, non stare per juramentum fidelitatis, quin si ea olim fuerit auctoritas excommunicationis, eadem quoque jam sit in clauibus P P. Quod profecto longè aliud est, atque simpliciter agnoscere jurisdictionem P P. in excommunicandis regibus. Ita tu valens dialecticus, semper dialecticari soles. Neque verò hac auctoritate P P. concessâ minùs verum esset Regis pronunciatum, quod de ciuili jurisdictione tantũ-

modo intelligendum. Nam alioquin etiam alia afferri possent, in quibus Rex se cuilibet Episcopo, etiam presbytero inferiorem non inuitus concederet. Sic ergo *Regem suum saluauit*, & facillimè R. Episcopus. Qui tanquam ex tripode dixit, *Vos de Malchi prosapiâ esse, omnia sinistrâ audire.* Nobis Nouatoribus tam subtilibus, aut certè captiosis esse non licet Veteratorum hæc paratura est.

¶ *De IIi. Argumento.*

TErtium argumentum est à disparatis. quasi sc. regna Ecclesiæ,& Reip essent ἀνύπαρκτα. Sic igitur instas vi solitâ. *Hæc duo regna Reip. & Ecclesiæ, quamdiu duo manent, hoc ab illo diuisum, duos habent rectores; cùm autem coalescunt in vnum, vnum tantum habent. Atqui in nouâ lege* (potuisses conuenienter vestris principijs,*semper*, dixisse, *manent duo, nec in vnum coalescunt: Ergo in nouâ lege debent esse duo primates, seu duo rectores.* Major propositio ex verbis R. Præsulis desumpta est. Quibus nihil verius, nihil certius dici, scribique potuit, nihil quod in historijs Ecclesiasticis testatius sit. Quamdiu enim Ethnici Impp. rerum potiti sunt,

sanè

sanè hæc regna diuisa fuere, & Impp. πολιτικὰ tantùm tractârunt; Episcopis interim Ecclesiam sedulo (ingratijs persecutorum omnium) curantibus. At postquam Christo fasces suos submiserunt, non minor ipsos Ecclesiæ, quàm Reip. sollicitudo tenere cæpit. Idque eò magis, quò nobiliorem, & præstabiliorem Ecclesiam Rep. existimârunt. Atque ita in vnum tandem coaluerunt hæc duo regna, cùm Reipublicæ conjuncta, & inserta est Ecclesia. Plurima huc congerere possem testimonia ex S. Patrum scriptis: sed satis erit vnus Socrates, qui, in proœmio quintæ historiæ, hoc totidem verbis asseuerat. *Mentionem*, inquit, *facimus Impp. per totam hanc historiam, quia ex quo Christiani facti sunt, res Ecclesiasticæ ab ipsis dependent: & maximè synodi eorum auctoritate* (τὰ συνοδικὰ γράμματα) *coactæ sunt, atque etiamnum coguntur.* Annon hæc satis erant, quæ vel canis alicuius ex ore pudorem exprimerent? Et tamen hæc omnia negat, & dissimulat Iesuita meus, & nescio quid musinatur. Aspicite quid in scenam afferat, & quàm suauiter nobis suâ nouâ Dialecticâ officias facere paret, dum probare aggreditur Ecclesiam & Remp. nunquam coaluisse in vnum. *Tempore*, inquit, *Christi,*

qui nouam legem instituit, diuisa fuerunt hæc duo regna. Ergo. Quid ergo, mi homo? Ergo nunquam coaluerunt, ergo nunquam coalescere debuerunt. Hæc est probatio minoris, scuticâ, an ferulâ, nescio, digna. Accipite, si vultis, & aliam, sed subsequentem: *In N.T non fuit idem primas vtriusque regni.* Ergo *Rex Angliæ hæc duo primus coniunxit, & primus cæpit sapere;*

Τοῦτο πάντων λοιπὸν ἀτοπώτατον. Quod ipsi improbabile videtur. Sanè & nobis. Neque enim Rex noster eò insaniæ deuenit, vt secum natam, & morituram sapientiam, aut prudentiam putet. Deus ipsi saniorem mentem, & meliorem dedit. Sed hæc tua ostende mitto. Dico tibi, Etiamsi tempore Christi, aut Apostolorum, (tantuli enim temporis historiam libri N T. & vix complectuntur) non coaluerint in vnum Resp. & Ecclesia: postea tamen sub pijs, & Christianis Impp coaluisse. Et quamuis tempore Christi, Ecclesia & Resp. vnum aliquem primatem, seu rectorem non habuit: temporibus tamen Constantini, & inde à Constantino ferè semper habuisse. Idque exemplo optimorum, & sanctorum Regum in populo Israelis. Quos sequi sacros Impp. non puduit: multò minùs pudere debet

debet Regem noſtrum, quòd & Iudæis illis, & his Chriſtianis quàm ſimillimum ſe præſtare conatur, & nutricius Eccleſiæ audire geſtit. Laudat fragmentum literarum Epiſcoporum Rhemenſis, & Rotomagenſis ad Ludouicum Regem [illegible] Caſaubonus meus, inde Libertate Eccleſiaſticâ p. 68. quod huc tranſcribere placuit. *Deus*, aiunt Epiſcopi, *in carne veniens, qui ſolus Rex fieri potuit, & ſacerdos, & in cælum aſcendens, ſuum regnum, i. Eccleſiam inter pontificalem auctoritatem, & regiam poteſtatem gubernandam diſpoſuit.* Ecce duo illa apud Nehemiam candelabra in Eccleſiam Chriſti tralata. Vtinam verò tibi, præſtantiſsime Caſaubone, Deus & animum reddat, & ocium faciat, pertexendi illius eruditiſſ. ſcripti, quod Deo, Eccleſiæque feliciter orſus es. Habebunt in quo ſe exerceant Ieſuitæ.

Tandem in fine huius argumenti ipſe ſibi Becanus obijcit exemplum Papæ, qui in parte Italiæ vtrumque primatum ſibi vſurpat. Sed ait, *illam coniunctionem iure humano introductam eſſe.* Benignè. Quare ergo *Vive Deus* audire vult Paullus V? quorſum omnia illa quæ retrò ex Marthâ, Peſantio, alijs produximus? Quo modo *ab eo emanat*

iuriſdictio

iurisdictio omnis? Quomodo *habet Dominium vniuersale?* quomodo *iure diuino est directè Dominus orbis?* An hæc nobis explicabit Iesuita? Non potest suis his verbis, illorum aptare: pugnantia sunt. Ἐῶ λόγους τινάς, δι' ἔνθους. Noster autem primatus & verbo Dei Rō. 13. & praxi Ecclesiæ nititur.

¶ *De IIII. Argumento.*

POtentiam, & auctoritatem, quam sibi P P. arrogat in Reges, & regna mundi, funditus euerterat R. Præsul p. 35, & 36. *Torturæ* suæ, hoc Syllogismo. *Papa, vt Christi vicarius, nullam delegatam sibi potestatem habet, quam Christus in terris degens non habuit. Sed Christus in terris degens nullam huiusmodi potestatem habuit quam exerceret in rebus mundanis.* (v. g. deponendis Regibus, soluendis à fidelitate debitâ subditis &c.) *Ergo Papa, vt Christi Vicarius, non habet huiusmodi potestatem.* Sed quid ad hoc argumentum τύφως noster? Ne γρὺ quidem. Nimirum non habuit, quod solidè, aut verè respondere posset, itaque silentio transmisit. Verùm ne nihil diceret, distinctionem, quam Episcopus illustrandæ Minori adhibuerat, inuadit, & mirè paratragœdiat.

Distin-

Distinctio autẽ illa est eiusmodi. Christus duo regna habuit. 1. quatenus immortalis, & ita Rex regum, & Dominus dominantium in S. literis appellari solet. 2. Quatenus mortalis, spirituale sc. in Ecclesiâ. Hac distinctione positâ, ait: *Christus, quà Rex regum est, i. immortalis, mortalem nullum provegẽ habet. Papa est mortalis; Ergò, quà Christus Rex regum est, Papa non est eius vicarius.* Quam distinctionem vnde hauserat, ad oram libri, quasi digito intenderat. *Bellarm.* lib. 5. de Pontif. c. 4. *Neque enim*, inquit, *Pontifici possumus tribuere officia, quæ Christus habet vt Deus*, (vbi nunc est *vi Vice-Deus* Paulli V?) *Vel vt homo immortalis, & gloriosus; sed sólùm ea, quæ habuit, vt homo mortalis.* Hoc quoque non soluit, sed retorquere conatur. Et sanè conatur tantùm. Audiamus disputatoris acumen. Ex hac distinctione concessâ (quam tamen non est ausus negare) sequi existimat, Regem nostrum, Regem non esse, multò minùs Primatum habere; vel si sit, potestatem suam neque à Deo, neque Christo deriuari posse. Dilemma tale est. *Si Rex Angliæ sit Rex temporalis, vel habet hoc Regnum suum vt Vicarius Dei immortalis, vel tanquam Vicarius Christi mortalis. Sed neutro modo.* Ergo. Becane,

eane, liceat mihi, cum bonâ tuâ veniâ, te similiter conuenire. *Si Imperator, Reges, & Principes Christiani,* (quibus non es veritus libellum tuum *Plenum ruris, & inficetiarum,* contra Regiam [illegible] inscribere) habent Imperia, regna, principatus, &c. Scis, puto, quid sequitur. Sed contineo me, ne tibi malum creem, apud illos, quos tam inciuiliter excepisti. Hoc primum. Dilemmati tuo itaque respondeo. Serenissimus Rex noster, vt *Christi æterni Vicarius est, regnum suum habet.* Psal. 82. *Deus stetit in Synagogâ Deorum.* Item, *Dixi, vos Dij estis.* Item, *Non hominis exercetis iudicium, sed Dei.* Itē, *Per me Reges regnant.* Neque quisquam inuentus est, qui hoc negaret Theologus, nisi fortasse an ex Societate aliquis. At, inquies, *Rex mortalis est, ergo Christi æterni vicarius esse non potest.* Fateor. Sed Vicarius Generalis, siue totius mundi, i. quà Rex regū est. Nihil autem impedit, quin, vt cæteri omnes Reges, partialis sit Christi æterni Vicarius. Et precor diu sit, & esse illum, vos aliquando sentiatis. Vides ergo quomodo Regi, & quàm nullo negocio succursum sit. Auferitaque tuum illud, *Hic tu succurre Regi, si potes.* [illegible]

¶ *De*

De V. Argumento.

EXcommunicationis effectus luculenter deſcripſerat R. Præſul p. 39. *Torturæ* ſuæ. Conſiſtere ſc. in priuatione bonorum ſpiritualium, quæ omnibus fidelibus, & Eccleſiæ filijs communia ſunt: (v. g. Os, orare, vale, communio, Menſa negatur) non autẽ in priuatione propriorum bonorum, aut ciuilium officiorum, excommunicato priùs debitorum. Verba Epiſcopi non repetam. Receptiſsima apud Caſuiſtas, & certiſsima ſententiaeſt, Cenſuram non tollere vincula officiorum inter maritum & vxorem; patrem, & filium; dominum, & ſeruum, &c. quæ hoc verſiculo complexi ſunt: *Vtile, Lex, Humile, Res ignorata, Neceſſe.* Vbi *Legem*, matrimonij officia: *Humile*, ſubiectionem omnem interpretantur. Nam etſi *omnem* non dicant, tamen vnâ aliquâ, aut duabus poſitis, neceſſe eſt, reliquas quoque omnes comprehendi, quæ eiuſdem iuris ſunt. Nam cur non? Cùm ergo poteſtas Regalis æquè ſaltem, atque omnis alia in lege naturæ fundetur: (Neque enim audiendi ſunt inficeti quidam, & indocti homines, qui dominium in gratiâ, aut bonis ſpiritualibus fundamentum

tum ſuum habere clamitant.) Concludit Epiſcopus ὁ πάπιστης, Regem regno ſuo priuari non poſſe cenſurâ P P. Ecquid certiùs, & manifeſtiùs concludi potuit? Huic argumento cùm occurrere non poſſes, aliò diuortiſti. Quæris de primatu, *An ſit commune bonum?* Reſpondeo, Non eſt. Regium & proprium bonum eſt; quod cenſurâ tolli non poteſt. At abſurdum eſt Regem *velut Ethnicum* eſſe primatem Eccleſiæ. Non eſt, eo ſenſu quo nos retrò primatum, aut potiùs ſuprematum definiuimus. Et ſanè hunc ſuprematum, cùm Diabolo, mundo, & pompis eius renunciat, & Chriſto initiatur Rex aliquis Ethnicus, non acquirit omnino de nouo; ſed Eccleſiæ, quam antea perſequebatur hoſtiliter, factus mẽbrum, ſingulari quodã iure ſuo, & volens fit nutricius, & *Eccleſiæ curam in ſinum ſuum recipit*, vt loquitur *Karolus M.* Poteſtas fere eadẽ fuit, in voluntate non eadem; & iuriſdictio fere eadẽ in executione longè diſpari. Hæc facilia ſunt intellectu, & miror te tantum Theologum hîc hæſiſſe. Sed ita fieri amat, quoties ex falſis hypotheſibus procedituꝝ.

¶ *De VI. Argumento.*

QVod eſt pro ſubiectione ciuium in Reges, & principes ſuos, quamuis paſto-

rali

rali virgulâ notatos. Deducitur autẽ à modo quo distingui solent subditi in ciues, quà tales; & fideles, quà tales. Dixerat ergo R. Præsul pag. 35. *Turturæ* suæ, subditos, quà fideles sunt, & pars Ecclesiæ, soli Christo obedire, eiusque vocem audire. (Vid. *August.* in Psal. 124. vbi de Iuliano) quà verò ciues regni sunt, & ante receptam fidem, & post receptam, imò & post amissam, Regibus tamen suis subdi, ijsque obedientiam & fidelitatem debere, quamuis à Papâ fulguritis. (Vid. *Tertul.* ad Scapulam; & quære quomodo *Theodosius* se gesserit in Imp. post excommunicationem.) Hinc argumentatur Chrysippus noster. *Iurisdictio Regis, non extendit se ad subditos, nisi quà subditi sunt. At subditi Regis, quà subditi, non sunt pars Ecclesiæ. Ergo iurisdictio Regis, in suos subditos, non est Ecclesiastica, sed ciuilis, & per consequens non subsunt Regi in rebus Ecclesiasticis, sed tantùm ciuilibus.* Papæ, quàm inscitè! Ita verò tibi concludendum fuerat, Becane. *Subditi Regis, quà subditi, non sunt pars Ecclesiæ: Iurisdictio Regis in subditos, est quà subditi. Ergo non quà pars Ecclesiæ.* Quod antea fassi sumus. Diximus enim Regem gubernare quidem Ecclesiastica, sed non Ecclesiasticè.

Quo-

Quomodo ſpeculatiuus Philoſophus verſatur ſæpe circa practica, ſed ſpeculatiuè, non practicè : & contrà practicus, circa ſpeculatiua, ſed practicè, non ſpeculatiuè. Quâ de re multa vtiliter adnotauit doctiſs. Vaſques veſter ad primam *Thomæ. Nihil certius contra tua principia.*

¶ De Argumento R. Epiſcopi *pro Primatu Regis.*

NON *oſtendiſti hactenus, ex doctrinâ R. Epiſcopi ſumi poſſe firma argumenta ad euertendum primatum Regis. Nunc, annon valida ſint, quibus eum aſtruere conatus eſt,* videamus. Et faxo *Becane*, vti, quam rem tu in contemptum abituram ſperâſti, è contemptibus exeat, & *maior ſit, quàm cui poſſit Ieſuita nocere.* Ac primùm ſanè, ſatis mirari nequeo, cur, cùm tot, & tanta ſint in *Torturâ* ab Epiſcopo producta argumenta pro Regio Primatu, etiam quæ illi cum Rege communia non erant; vnum hoc præ cæteris eligeres, quod, in apoſpaſmatio hoc tuo, ſeu triobulari libello exagitares. An gloriæ *Achillis* quicquam detractum fuiſſet, ſi in tanto *Homericorum* verſuum numero, vnum aliquem, aut etiam alterum,

rum, verù fixiſſet *Ariſtarchus?* Nihil minùs. Sed reliqua, quia ambulandi ſpacium ubi non dabant, in hoc tanquã campo decurrere maluiſti. Experiamur an feliciter. In ipſis ſtatim carceribus impingis. Nam cùm argumentum R. Epiſcopi enodare, aut ſoluere non poſſes, ſtatum quæſtionis mutâſti, & quod de Iuramento Fidelitatis Epiſcopus dixerat, tu de primatu dictum, aut putâſti, aut putâſſe videri voluiſti. Ridiculo, neſcio, an pudendo, errore. Quæritur eò loci, *An ſaluâ fide iurari poſsit in hæc verba, Ego obedientiam præſtabo Regi.* Et ſaluâ fide poſſe, firmiſsimè probat Epiſcopus. 1. Exemplo *Ioſuæ*, cui populus obedientiam in omnibus promiſit, & quod promiſit, etiam iurâſſet, ſiquidem iuſſus fuiſſet. 2. Exemplo *Nabuchodonoſoris, Pharaonis, Cyri.* Ne quis ſolis orthodoxis obedientiam deberi obijceret, & non etiam Ethnicis, aut, (quod nunc agunt, & ſatagunt,) hæreticis. Quid hæc ad primatum Regis? An iuramentum fidelitatis, & primatum Regis perinde habet *Becanus*? Atqui in iuramento, primatus nullo modo comprehenditur, neque ab ipſo Sereniſs. Rege, aut R. Epiſcopo hoc loco primatus tractatur. De primatu tamen,

etiam vigilans, somniat Iesuita: &, quæ obiter inserta erat clausula, arripit, & ex eâ de primatu disputare aggreditur. Est autem clausula illa observatione nostrâ dignissima. Monet enim nos de grauissimis, & maximi momenti rebus. 1. Obædientiam Iosuæ promissam fuisse, non tantùm in temporalibus, sed & Ecclesiasticis. 2. Eleazarum pontificem non intercessisse, nec de jure suo minuto verba fecisse. Hoc, etsi maximè ad rem faceret, & aduersarios acriter pungeret; tamen surdâ aure præterit. In priori illo instat. 1. Negat hanc obædientiam promissam esse *à toto populo, sed tantùm à Rubenitis, Gaditis, & dimidiâ tribu Manasse.* Idque in ijs tantùm, quæ à Mose circa illos constituta erant. 2. Negat *hanc obædientiam promissam in omnibus simpliciter, sed ijs tantùm, quibus Iosue successit Mosi.* Successit autē non in officio Sacerdotis, Propheræ, aut Legislatoris, sed in officio Regni. Ergo promiserunt tantùm obædientiam Iosuæ doctori, &c. 2. Deinde *Moses* dicitur ei *partē gloriæ suæ dedisse.* Num. 27. 18. id est, interprete *Becano*, tantùm potestatem secularem, non Ecclesiasticā. 3. Præterea Moses voluit eum subesse Eleazaro. *Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum.*

Dominum. Ad verbum eius, egredietur ipse, & omnes filij Israel cum ipso, & cætera multitudo. Ergo. 4. Denique verba illa, *Sicut obœdiuimus Mosi in cunctis &c.* referri ait ad præcedentia, in quibus nulla fit mentio rerũ Ecclesiasticarũ, sed tantùm belli suscipiendi & instaurandi aduersus Canaanæos. Videamus singula. Ac primùm quod ait, promissionem illam obœdientiæ non fuisse factam ab omnibus Israelitis, sed tantùm à Reubenitis, Gaditis, & dimidiâ tribu Manassis; confutatur ex collatione versus 10. & 12. Nam in commate X. dicitur, *Præcepitque Iosue principibus populi, &c.* Ergo omnes alloquitur, etiamsi postea peculiariter Reubenitas &c. Et mox versu 16. ij ipsi, quos allocutus fuit, responderunt, *Sicut obœdiuimus Mosi in cunctis, ita obœdiemus & tibi.* Quibus verbis altera exceptio Becani eluditur. Aiunt *In cunctis*, non *In aliquibus*, quod nugatur Becanus. Apertiùs paullò pòst. *Qui non obœdierit cunctis sermonibus, quos præceperis ei, moriatur.* Non aliquibus, non his aut illis, quod contra manifestissimam scripturam, ille audet affirmare. Sed iste Iesuitissmus est. Bis Sp. sanctus, qui non solet esse prodigus in superfluis, aut parcus in necessarijs, idem repetit, vt de

ſenſu dubitare hominis ſtolidi ſit, aut impudentis. Neque verò refertur promiſsio ad ea quæ præceſſerunt, quod ille, neſcio in quo bicipiti Parnaſſo, ſomniat; ſed ad futuram obædientiam vel maximè in rebus Eccleſiaſticis. cap. 22. 5. *Vt cuſtodiatis attentè, & opere compleatis legem, quam præcepit vobis Moſes.* Hinc illa commate 16 de altari ſacrilego, vt putabatur, demoliendo. *Quæ eſt iſta tranſgreſsio?* cap. proximo. *Ne iuretis in nomine Deorum eorum.* Item, *Ne ſeruiatis Dijs eorum.* Item, in cauſsis matrimonialibus, *Ne miſceatis cũ ipſis cõnubia.* Vides quàm multis in rebus, Eccleſiaſticis dico, auctoritatem ſuam interpoſuerit Ioſue. Nam etiamſi fortaſſe Moſi non ſucceſsit in omnibus officijs, ſucceſsit tamen in plenitudine regiminis politici. Quod ſatis eſt exigendæ obædientiæ in omnibus tam pro Deo quàm Repub. Cæterùm quàm imperitè verſatus ſit Moguntinus hic Ieſuita, in loco Moſis Num. 27. explicando, pauliſper attendite. Verba Moſis. *Dixitque Dominus ad eum, Tolle Ioſue filium Nun, virum in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum. Qui ſtabit coram Eleazaro ſacerdote, & omni multitudine. Et dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt*

audiat

audiat eum omnis synagoga filiorum Israel. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum: ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipse, & omnes filij Israel cum eo. Hic duo collegisse se contra R. Episcopum existimat Becanus, & valde facetum se facit. 1. Iosue accepit partem gloriæ Mosis, Ergo successit tantùm in secularibus. 2 Ad verbum Eleazari jubetur egredi, & ingredi. Ergo suberat Eleazaro, & ad imperia eius omnia faciebat. *Dij magni salaputium disertum!* Quantum huic homini restabat ad interpretationem Baronij, *Petre surge, & macta: id est, Paulle V. surge, & occide Venetos?* Item alteram hanc Bellarmini, *Dic Ecclesiæ, id est, dic tibi ipsi?* Sed ad rem. Pro eo quod in Vulgato legitur, *dabis ei partem gloriæ tuæ*, in Hebraico, Chaldæo, Græco est, *Et dabis illi de gloriâ, vel splendore tuo.* Id est, quantum potes, ex tuo splendore, atque æstimatione, auctoritatem illi conciliabis apud populum. Ratio additur: *Vt audiat eum omnis synagoga filiorum Israel.* Non ergo hìc minuitur majestas Iosuæ, sed æquatur, & pariatur Majestati Mosaicæ. Quid his apertius? quid liquidius? Major hominis insciti a est in proximo. In Hebræo legitur: *Et coram*

sacerdote Eleazar stabit, & interrogabit eum de iudicio Vrim coram Domino. Eodem modo Chaldæus paraphrastes, & LXXII. Seniores illa interpretati sunt. Quo profecto nihil aliud significatur, quàm Iosuæ consulendum esse oraculum Dei in rebus dubijs, & creperis; siue bella susciplenda sint, siue persequenda: siue qua alia difficultas suboriatur. Vide Exod. 28 Et eius ritus exempla passim occurrunt in scripturâ sacrâ. Huius rei ignorantia Iesuitam, vt errorem tam fœdum erraret, impulit. Quid enim? Iosua in rebus dubijs consulere debet Domini oracului per sacerdotem: Ergo suberat sacerdoti, etiam in temporalibus. *Vapula Papyria*; Vapula Becane, odiosus es. Hactenus ergo quàm non potueris eludere argumentum R. Episcopi, satis apparuit, & quàm probè, primatus ille, quem eo argumento astruere conabatur, probatus sit. Nihil protulisti Theologo dignum: nihil te. Multo minùs te digna sunt, quæ appendicis loco, de comparatione Regis, & Pontificis effutijsti. Si enim scripta encomiastica, & hyperbolica Chrysostomi, Nazianzeni &c. legisses, longè illustriora profecto testimonia proferre potuisses de dignitate, & potestate sacerdotali

in rebus ſpiritualibus. Sanè quin in illis Reges cedere debeant Sacerdotibus, nullus, quod ego quidem ſciam, dubitauit vnquam Theologus. Reges, pios Sacerdotes, tanquam patres venerari debent: filij ſunt, non præſules Eccleſiæ: accipere ſacramenta, non dare debent; confiteri, non abſoluere. Nec tamen Valentiniani modeſtiam imitandam cenſuerim, qui rerum Eccleſiaſticarum audiendarum, & ſynodorum conuocandarum curam à ſe ſpreuit. Conuocet ſynodos bonus Rex, & vt omnia iuſtiſſima inquirat ibidem fiant, ſedulò curet. Digna Principe res eſt, Eccleſiæ ſuæ nutricium audire. Ergo quæ huc congeſiſti, ſponte largimur omnia, neque tamen cauſſæ noſtræ vel tantillum nocent. Non enim ſequitur, Rex in rebus ſpiritalibus, de quibus dixi, ſacerdote inferior eſt: Ergo non habet ſuprematum in Eccleſiam. Quod tibi probandum fuerat, ſed non probaſti.

¶ *Epilogus.*

HAbes quod ſtrigoſo huic libellulo tuo reſpondendum duxi. *Habes, inquam, tria hæc puncta*, vel ſi mauis, quatuor. R. Epiſcopum validiſſimis argumentis ſuprematum Regis propugnâſſe: Nullum ar-

gumentum ex principijs eius deduci posse, quo euerteretur ille suprematus. Orthodoxa omnia illa fuisse, quæ tanquam paradoxa prauæ opinionis, ex libro ipsius protulisti. Denique conuiciatum non fuisse Episcopum. Eleganter Lucianus in De mercede conductis. ἀδύνατον γὰρ ἀνεπίφθονον πάσχειν τι παρὰ τῶν ὑβριζόντων ἑκόντων ἐκείνων, φασὶν, ἐπιφέροντος. Reliquum est, vt te per Deum immortalem obtester, vti candorem, & Veritatem serio colas; animum, & calamum ad alia potiùs, quàm portentosa hæc, & in Principes omnes contumelioſa dogmata defendenda conuertas. Ne, quod vobis impendere videtur, *pereatis de vī*. Vale.

Errata.

Pag. 21. lin. 9. appellatos, appellati. 24. lin. 24 quod, quid. 26. lin. 10. Sacerdotis, Prophetæ. 77 lin. 13, animo. animos. 16. Varro, Petronius.